This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


MENA
DE
Febribus
1616
-002
79
R

616-002 MEN
1157 ex.2

FERDINANDI MENA

DOCTORIS ET MEDICI CVBICVLARII PHILIPPI REGIS HISPANIARVM, REGVM OMNIVM CLARISSIMI, AC INVICTISSIMI, COMPLVTENSISQVE SCHOLÆ PRIMARII PROFESSORIS.

METHODVS FEBRIVM OMNIVM, ET EARVM *Symptômatum curatoria; Hiſpaniæ Medicis potiſſimùm ex vſu.*

ACCESSIT
Liber de ſeptimeſtri partu, & de purgantibus Medicinis, eodem & expoſitore & enarratore.

Difficilia quæ pulchra.
Δύσκολα, τὰ καλά.

BIBLIOTECA

ANTVERPIAE,
Ex officina Chriſtophori Plantini.
M. D. LXVIII.

AD ELISABET REGINAM SERENISSIMAM, PHILIPPI REGIS HISPANIARVM, ET INDIÆ MAXIMI, CONIVGEM DILECTISSIMAM,

FERDINANDVS MENA.

NON *fuit ſanè exigua cauſa, ſereniſſima Regina, & fœminarũ omnium, in virtutibus omnibus exẽplum clariſſimum, quæ me potuit acriter inſtigare, vt ad deſcribẽdas enarrandáſve febrium curationes, ego aliàs valde propenſus, accingerer expeditiùs. Nam cùm inter eos perpetuò præſens adfuerim qui erga morborum, quibus iniquè admodũ exactis proximè diebus premebaris, medicationẽ incumbebant: facturus me operæpretium eſſe exiſtimaui, ſi quæ illo tẽpore, diligẽtiſſimè præmeditata cõſuluerã, ad ciuium meorum cõmunẽ vtilitatẽ, libens oppidò cõminiſcerer, & vnico volumine, cõpendiaria ratione cõplecterer. Poterã equidẽ febrium illarum, ac totius in eis decurſus, ſimiliter & ſymptômatum, hiſtoriã hoc loco cõſcribere, quibus pertinaciſſimè ſimul & pernicioſiſſimè, maieſtas tua, bis teráꝫ, magna cum totius reipublicæ perturbatiõe, fuit diuexata: verùm tamen cùm eã alio volumine propediem inuulgando, pro re nata, literis mãdauerim, ea nunc ſilẽtio prætermiſſa, id duntaxat efficere curabo quàm breuiſſimè, vt quibus de cauſis ſereniſſimæ tuæ maieſtati, hoc munuſculum dicauerim, patefaciã. Cùm enim opti*

BIBLIOTECA

mè nouerim, multisq; experimentis totum hoc septennium, & eo amplius, per quod Philippi regum omnium maximi, salutis curã gessi, apprimè didicerim, quãtò ille tuã maiestatẽ sereniss. prosequatur amore, & quãta cũ propensione, totus ipse ex tuis nutibus pendeat assiduè; quod quidem præter multa alia, euidẽtissimè ostenderũt solicitudo illa animi, vigilãtissimaq; illa prospectio, quibus anxiè nimis tuæ saluti, & prouideri, & consuli, noctes atq; dies satagebat. Ego equidẽ oculatus nimirum testis, & assiduus spectator, geminã ob causam, tuo potissimum patrocinio nuncupandum esse hoc munusculum iudicaui: altera quidem, vt vnico xeniolo, Philippo Regi maximo placêrẽ, gratiq; animi mei fidem demonstrarem, dum eius coniugi charissimæ palàm studeo gratulari, altera verò, quò sedulitatem meam & strenuam diligentiam, quam temporibus illis præstitisse laboraui, sublatè valdè, & publico testimonio cõprobasse aliquãdo viderer. Suscipe itaq; clarissima regina, gratissimi mei animi indicium aliquod, licet pro dignitate maiestateq; Regia longè indignissimum: & qua soles humanitate maximè singulari, tuos excipere, maxima cum omnium admiratione, Ferdinandum Mena Regiæ domus alioqui studiosissimum amplectere, & ad aggrediẽda maiora foueas. Vale, vincasque Nestorem annis.

DE

DE RATIONE MEDENDI.

FEBRIBVS OMNIBVS, AVCTORE FERDINANDO MENA, MEDICO REGIO, ET COMPLVTENSIS SCHOLÆ PROFESSORE.

CAPVT PRIMVM.

De his quæ ante curationem ſunt prælibanda.

SEQVEMVR HAC IN PARTE PAVlum, Aëtium, Oribaſium lib. 6. περὶ τῆς συνόψεως ad Euſtathium, quibus Galenum conciliabimus perpetuò, Auicennæ in hoc interim ſpacio placita miſcentes, præſertim cùm præfatis diſſentire videtur; nunquam non Tralliani de hac re ſententiam proferentes in medium, quem mirificè exoſculamur. Ac vt nihil deſit accedenti ad curandos febre laborantes, ſed omnia quæ propoſito ſcopo videntur vſu venire, habeat philomedicus in procinctu; in primis ſciat oportet, quædam eſſe prælibanda prius, quæ ad medicum ipſum attinent; quædam verò quæ ad ægrũ ipſum & illi ſeruientes famulos; quædá verò alia ex parte ipſius medicinalis artis exigi. Ad medicũ ipſum attinet, prudentia vigere; qua ſola plurima eſt indeptus Galenus lib ad Poſthumum; & citra quam millies à vera ratione medendi, & quæ apud vulgus laudem mereatur, longè lateq; ſæpius deerrabit. Donemus porrò cũcta medicinalia theoremata calluiſſe quempiam, atque ſcitè admodum, quæ fieri debent, & admoueri remedia pertractaſſe in ſcholis, & vbi controuertuntur omnia gymnaſiis: non hercule fit protinus, vt iſdem innumeras occaſiones, quæ paſſim dum morbis medemur occurſant, nouerit arripere: & eſto, illas dexterrimè capeſſere ſciuerit; ſæpius tamẽ eueniet, niſi mores hominum famulantium, atque ipſius ægri pluribus antea malis defatigati, tædium calleat aut permulcere, aut latenter decipere, vt aut

medicus ipſe turpiter terga dare cogatur,aut æger nihil parẽs animum deſpondeat. Haud aliter quidem liberaui olim Archiepiſcopum Siliceũ, morbo verè pertinaciſſimo plures dies vexatum;qui cùm odio haberet medicinalem diſciplinã,atq; ſuos aſſeclas, omnia temerè contẽnebat imperata, periiſſetq; profectò, niſi mea induſtria clanculum ſatis fuiſſet circũuentus. Quibus omnibus aſtipulari poterit perquàm Illuſtris ſimul ac Reuerendiſſimus Dominus Illefonſus Enrriquez Abbas Pincianus,qui noſtræ diligẽtiæ comes adſtitit indiuiduus.

CAPVT II.

De his qui ad medicum & ægrum pertinent.

SCiat ſecũdò quî adeũdus ſit æger,quibus ſermonibus, quo veſtitu,qua tonſura,quibus vnguibus & odoribus: de quibus omnibus 6. Epidem. parte 4.commẽt. 9. Et nos paulò latius in primi Aphoriſmi enarratione cõſcripſimus. Nec ſimul atque eſt ingreſſus,pulſum attrectet, ſed è regione ſedẽs, vultum in primis ſedulò ſuſpiciat, vt ante quàm aut interrogauerit ægrum,aut ſigna ex quibus ſalutẽ aut mortem diuinari poſſe laborans præſtolatur,explorauerit,valeat de confeſſione monere,citra vllam deſperatæ ſalutis ſuſpicionem: hoc ipſum maximè eſſe ſibi perpetuò cõſuetum inquiens. Dimitto modò quàm ſit neceſſarium prius artem medicam diligẽtiſſimè perdidiciſſe,in eiuſq; præceptis euoluendis diutiùs medicum commoratũ, reiectis quæſtionibus, quæ philoſophantibus ſolùm videntur eſſe in precio, maximè momentaneas traditiones & cum experimentis conſonas numeratò tenere: ne oblato vrgentis neceſſitatis articulo,aut conſulere libros cogatur, qui nihil forſan Calliam curanti proficient,cùm illi de homine diſceptent duntaxat, & ſparſim varia præcepta contineãt, quæ vix,ſed ne vix quidem properanti medico poſſint eſſe ſatis obuia,aut in biuio (quod aiunt) hærere ſæpius deprehẽdatur. Ad ægrum autẽ pertinet & illi famulantes, vti præſto ſint imperanti medico,nihilq; eo abſente moliantur,quod vlla ex parte iuſſis aduerſetur; ac perinde haud ineptè faciet ἰατρὸς, ſi nonnunquam laborãtibus inculcauerit, artem medicinalem conſta-

Celſus 3. lib. 1. de articulis comm. 30. 1. Aphor. 1. 1. Epide. parte 3.

conſtare ægro, morbo, medico; multũq; intereſſe, ſi æger morbo aut medicanti viro ſuppetias attulerit. Ex parte ipſius artis plurima quoq; requiruntur, agnitio nempè tẽperamenti corporum, morborum & eorundẽ differentiæ, auxiliorum item & variarum rerum notitia, ex quibus omnibus parandus eſt victus laborantibus ipſis, & ſuppeditanda materia remediis.

Lib. de Flatibus.

Lib. 1. & 3. de diæta.

CAPVT III.

De his quæ ad artem, ac primùm de morbi principio.

AC vt ad peculiaria magis perueniamus, primã diem morbi in qua ægrotare quiſquam cœperit, ſtudioſè admodũ obſeruare debemus, deinde cauſam morbi, & morbũ ipſum exactè cognoſcere, ex 4. Acutorum com. 57. & 2. Epidem. parte. 1. com. 40. Nam cùm cõputari debeat morbi duratio & finis ab ipſo inceptionis principio, par eſt de ea cõſtet in primis. Quocirca, principium morbi in hac contemplatione, neutiquam eſt capeſſendum in aliqua trium ſignificationũ à Galeno 1. de Criſibus expoſitarũ: ſed pro temporis anguſto quodã ſpacio, & à medici ſenſu aut ægroti perceptibili, in quo primo ſenſibiliter ac per ſe actiones oblædere morbus incipit, quod quãdo ſit ſtatuendũ, non facilè inuenias. Nec enim dolor capitis, vigilia, laſſitudines quales quales ſint, febris initiũ conſtituũt: nimirũ iſta multò ante febrim ſolẽt præire, interq; neutra ſigna numerãtur, quæ corpus in morboſum apparatum corruere prænuntiant. Imò verò nec decubitus in lecto, inchoatæ febris extat certum indicium, quandoquidẽ multos inuenias qui leuiſſimis de cauſis, vel ſolo ſcilicet capitis dolore moleſtati, confeſtim lectum petant, ſibi plus æquo indulgẽtes: rurſum alios perſpicias, qui duriter corpus ſuum tractantes, recti ſtantes (vt Hippocratica dictione vtar) aliquot dies febrim ſuſtineant. Quam ob rem, cùm difficilis ſit adeò ratio deprehendendi morbi principiũ, nequeatq; morborum ſenſim laceſſentium ſaltem, niſi ægrè conſtitui prima dies, in hac ſunt ſententia Paulus, Galenus, Aëtius,

2. Tech. ad calcem. Et 2. Apho. 5.

Paulus lib. 2. Gal. 1. de diebus criticis.

Auicen. 2. 4. tract. 2. Aet. ſer. 1. 2. quater.

Aëtius, Auicenna, vti illud ſignetur in morbis principium, in quo manifeſtò febricitare incipientes decumbunt. Quam reſponſionem ſi increpaueris ceu minus conuenientem, & aſſertis repugnantem, quòd dum dolor eſt capitis, laſſitudines, faſtidium manifeſtè febricitare laborantem præ ſe ferant; ſunt etenim hæc ſigna ſenſu percepta, quæ neceſſariò pandunt affectum aliquem ſui genitorem, ſi vera eſt Gal. ſentẽtia tantoperè nobis inculcata, quæ ſymptomata ſequi morbum, veluti vmbra corpus, perpetuum eſſe monſtrauit, præſertim cùm

Lib. de dif. Sympt.

1. de loc. affect. c. 6. morbus febris de natura ſit ſimilariũ rerũ, quæ cùm primùm incipiunt, ſunt, ac cùm nunc ſentitur primò, multò antea fuiſſe colligitur, nihilo à ſequenti ſeparata, præterquàm magnitudine. Reſpondetur re vera morbũ inuaſiſſe multò prius quàm ſentitur actionibus per ſe nocere, cæterùm nõ ſupputari morbum, niſi ab eo tẽpore, quo primùm ſenſu percipitur; aliter dogma ſempiternæ paſſionis foret veraciſſimum, perpetuoq; mortalium vnumquodq; affici diceretur, ſiquidem vix, ſed ne vix quidem inculpatum queat dari vnquam vllum corpus. Præterea quanquam in morbis longis, quiq̃ue à minimis exordiuntur initiis, exactum principium & primam diem nequeamus deſignare, iuxta illud Hip. 3. prog. 6. difficilius eſt præſentire ea, quæ maxima parte tẽporis ſunt iudicanda; in acutis tamen, & qui cõfertim ingruunt ſatis magni, neminem latebit quantumuis oſcitabundum prima dies morbi; vel ſi latuerit, id fiet per horã plus minúſve, quod neutiquàm dierum criticorum ſupputationi vel hilum nocebit. Iam verò, ea cauſa morbi primum inſultum tam ſolicitè quærebamus, vt critici dies antiquam rationem ſeruẽt incolumẽ, & nulla ratione fruſtrentur; qui quidẽ cùm in morbis in quibus fiunt iudicia, cuiuſmodi ſunt acuti, palàm ſatis oſtendatur, ſubito factus, in illis ſolùm dictũ accipite, principium eſſe, quando manifeſtè febrire incipientes decumbunt. Ii etenim à febre inchoant ſtatim maxima, nulla ex parte ſenſum fugiẽte. Antiquiſſimi inſuper magiſtri, non quemcumq; affectum ſenſibiliter lædentem actiones, morbi appellatione inſcripſe-

runt,

runt, ſed eum dumtaxat qui eo vſq; immoderantiæ peruenit, vti euidenter febriens cõtinuitatem corporis ſolutam putet, & non amplius in publicum prodire valeat, ac conſueta vitæ munia obire: quod Aëtius ſer. 1. 11. quater. cap. 5. ſcriptum reliquit; quanquam hoc poſtremum ſuos cauillos patiatur, dum hominem agreſtem, laborumque patientiſſimum in medium egeris, qui febri captus temporis notatu dignum interuallum rectus ſtans, permanebit, conſueta munia ſimiliter exercens.

CAP. IIII.

In quo de febris ſubſtantia diſputatur.

FInita quæſtione, quæ an ſit febris, quæſiuit, & quando, quæ prima eſt quæſtionum naturalium; ſecundò quæretur, quid ſit febris: cuius rationem promptiſſimè narrabimus, ſi eam, quam Gal. 6. Epid. parte 1. com. 28. ſcripſit, in medium retulerimus. Ea nimirum eſt non ſolùm ſecundum Hipp. & optimos medicorum; ſed & iuxta omnium hominum opinionem & conceptum, Calor præter naturam in totum corpus maximè diffuſus, ſin minùs, omninò per plurimas partes noſtri corporis, aut, præcipuas maximè inexiſtens: ſic Græcè, ἡ παρὰ φύσιν θερμασία, μάλιστα μὲν εἰς ὅλον ἐκτεταμένη τὸ ζῷον, εἰδ' ἐ μὴ, ἀλλὰ πάντως, ἥ τοί γε ἐν τοῖς πλήσιοις μορίοις, ἢ ἐν τοῖς κυριοτάτοις ὑπέρχουσα, cui ſanè addenda ſunt, quæ in morbi definitione ſcribi conſueuerunt, actiones ſcilicet per ſe ſenſibiliter impediens: addenda quoque eſt dictio illa μόνιμος, id eſt, permanens, ex lib. 1. Meth. & ex lib. De diff. morborum. Quamobrem iræ feruor, qui tandiu durat, quandiu animi concitatus ſpiritus, quia minimè perſeuerat, ſed à ſolis pendet prægreſſis cauſis, morbi rationem haudquaquam init. Similiter in lipyria, tametſi extrema frigeſcant impensè, tamen quia nobiliſſimas partes occupat calor præter naturam, febris meritò eſt dicendus; quibus non obuiat philoſophantium decretum, quod quidem rerum appellationes aut à qualitate, quæ eſt in toto, aut

maiori eius parte, aut ſaltem in principibus partibus & principaliſſimis ſumendas eſſe conſenſit. Iá vides quàm ſit arctanda febris definitio ab Auicen. poſita ſen. 1. 4. in principio; qua multò completior, quæ ſcribitur ab Aëtio 2. quater. ſer. 1. ad hunc modum. Eſt calor præter naturam cordis, & arteriarũ vitalem firmitatem lædens, ex profundo emergens, acris & mordax ad tactum, præſertim circa thoracem, & vbi arteriæ magnæ ſitæ ſunt, & ad talem calorem inæqualitas & inordinatus pulſibus motus accedit, iuxta febris ſpeciem. Quam definitionem ideo laudaui maximè, vt quæ medicis palàm faciat, quibus ſignis potiſſimùm conſtituenda ſit febris, quod olfaciens Gariopontus vir doctiſſimus & antiquiſſimus alioqui ſcriptor, febricitantem apprehendi deberi affirmauit naturalis caloris ſuperantia, & pulſus mutatione. In quorum omnium definitionibus, ſi pauciſſimos dempſeris, nullam mentionem reperias primi ſubiecti cordis, quod quidem explicuit Auicen. dum accenſum in corde calorem extraneum, febrem eſſe voluit, à Tralliano forſan mutuatus, qui febris ſubſtantiam, caliditatem eſſe præternaturalem cordis & arteriarum, hac demonſtratione comprobauit. Nam cùm febris ſit conuerſio natiuæ caliditatis; natiua autem caliditas ineſt cordi; in corde igitur eſt febris. Sed & Galenus illud idem cenſuit eſſe ſubaudiendum libello de Maraſmo, cùm euidenter demonſtrat, non poſſe fieri, vt communis affectio toti corpori impertiatur, quin cor vnà laboret. Rogauerit fortaſſe quiſpiam, an cùm febris malitia eò peruenerit, vt ſpiritum frigidum expiret laborans, paruamque ac raram ſpirationem, iuxta 1. Prog. 23. commentationem, febris ne ſit, an potius frigidus affectus. Ego ſanè non dubitarem aſſerere, quin ſæpius accidere poſſit, vt poſt calidam & ardentem febrem, frigidus ſequatur affectus, & extinctio caloris natiui, quemadmodum in Pythione, iuxta Herculis fanum habitante, digeſtis humoribus calidis, ſecutam eſſe frigoris affectionem Galenus ſcripſit; quæ quidem non minus pernicioſa erit, cùm eodem auctore inſanabi-

3. Epid. parte 3. com. 74.
3. Epid. parte 1. com. 7.

ſanabilia ſint frigora, quæ calidis & ſiccis morbis ſuccedunt. Nec in eorum ſententiam vnquam ibo, qui in eiuſmodi affectuum ſucceſſione audent affirmare, adhuc permanere calorem extraneum, proprietate ſuperantem, quamuis non intenſione: qui quantum à veritate ipſa diſcedant, nouerint qui Galenum legerint, 8. Method. aſſerentem febrim in calidi redundantia conſiſtere. Etſi vbi adeſt frigidus affectus, quantum ad ſenſum tactus attinet, impudenter audes affirmare, ſubeſſe calorem proprietate ſaltem extranea nocentem · cur non omnes affectus frigidos, calidos pronunciabis æqua lance? aut cur potius non dicetur frigidus, ſi eiuſmodi tactu percipitur? Non fuiſſent tam nefandæ ſententiæ antiquarij illi Auicennæ interpretes, ſi probè legiſſent Galen. lib. de Maraſmo, quo loco refutans priſcos illos, qui ſenium ex morbo febrem eſſe dicebant, in ea tandem perſtitit ſententia, quæ non eſſe febrem opinatur eum affectum, quo cor eſt frigidius debito. Sed quas actiones lædat febris dubitares: nempe Auicenna naturales explicuit lædi, Aëtius vitales, Auerroës autem omnes vult lædi hoc ſyllogiſmo, quia calor cordis eſt ille cum quo membra faciunt omnes ſuas operationes: neceſſarium eſt igitur, vt quando recipit aliquam mutationem, omnes quoque lædantur. Verùm hæc ratio dumtaxat confecit eas lædi, quæ temperamento cordis peraguntur: quod ſi ad omnes corporis functiones obeundas exigi conſenſeris, vti Gal. decreuit 1. de locorum paſſionibus ad finem, omnes lædi dicemus vbi febrit cor, omnes inquam, pro generibus ſingulorum, quod dicitur: Expultrix quippe & retentrix nonnunquam roborantur febrilis caloris acceſſione; memoria item, licèt reliquarum facultatum plurimæ oblæſæ eſſe percipiantur. Functiones igitur à corde prodeuntes primo læduntur & omnes, & calor extraneus intenſione eſt febris, vt abundè monſtratum eſt.

CAP. V.

Quis calor febris dicendus ſit.

SED altercantur plures, ſit ne calor qui præfuit, an qui denuò foris acceſſit, an ex vtroque mixtus; qui namque præfuit, non poteſt eſſe febris, aliter ſemper hoc nomine compellaretur, nunquamque eſſet corpus ſine febre: quidam extrorſus venientem calorem febrem nominant, quòd extraneus deſtruere, vitiare actiones, vitam adimere ſit natus; qui verò præerat natiuus, hæc omnia rurſus cuſtodiat, perficiat, atque viciſſim reficiat, vnde non facere vnum, ſed diſtinctos eſſe ſpecie, quanquam vni ſubiecto hæreant, tradiderunt, quos hoc ſolo argumento conuinci planè conſentiet, qui vel parum exercitatus fuerit in demonſtrandi methodis. De calore quippe præeunte, quique in nobis exſiſtit, ſecundū naturā rogo, an intendi valeat ac remitti; an potius impermutabilis ſit omnino? Si ipſum impermutabilem dixeris, rem ſanè doces præter omnium opinionem, ac præcipuè philoſophantium, qui qualitatibus tribuunt magis ac minus: corpora item mortalium reddis perpetua, ſiquidem nequeunt permutari (te auctore) temperamenta: quæ ſi permutantur, calor variabitur plus minúſve: quod quidem euidenter ſatis ætatum progreſſus ineuitabilis commonſtrat. Quod ſi intenditur aliqua de cauſa, illud equidem fiat, donec ſua immoderantia proprio corpori ac toti noceat, atque eius operationibus: quare febris erit calor præcedens factus intenſior, nequaquam aduenienſ ſpecie diſtinctus. Eſt igitur febris mixtus calor ex præcedenti & ſuperaddito, qui cùm ſint naturæ eiuſdem, vnum faciunt calorem, immoderatum tamen, cuius quælibet pars eſt facta præter naturam, quatenus pars exiſtit totius immoderati. Quanquam enim quatuor gradus caloris naturales ſint, & proprio ſubiecto ſecundum naturam adhæreſcant, redditi tamen ſex, fiunt immoderati, ac cùm ſimul iunguntur cum duobus foris venientibus, fiunt præter naturam, qui verè ſecundum naturam

ram ſeorſum exiſterent. Atque hoc ſanè vult Galen. dum febrim appellat calorem natiuum mutatum in igneam naturam, hoc eſt, id totum quod reſultat ex aduenienti & natiuo; qui tametſi præter naturam dicatur, totus ſimiliter ac extraneus, non tamen omnino, ſed ſicut medias qualitates extremarum contrariarum participes eſſe confitemur, & rubrũ colorem albi & nigri, ac demùm, qua ratione temperamentum hominis ex contrariis frigido, ac calido conſtitui, aſſeueramus, ſimiliter ac pus ipſum optimum, album, leue & æquale. Quoniam ſi omnino eſſet præter naturam calor ille febrilis, corpus vtique eo tempore foret demortuũ, ac prorſus corruptum, ſicut in mala ſimpliciter putrefactione contingit, auctore Gal. 2. aphor. 47. Sicũt igitur media mutatio, necnon mixta ex calore naturali, & præter naturam, cenſetur ab auctoribus ſuppuratio inflammationis, & putreſcentium humorum in venis coctio: haud ſecùs reputandæ ſunt mediæ mutationes, quæ fiunt à febrili calore, nec omnino quidem præter naturam, quoniam neutiquá nutriretur corpus eo tempore quo febrit, nec coquerentur humores quantum oportet ad ſanitatis conſecutionem; ſic tamen, vt nec omnino ſecundum naturam, quandoquidem vitiatas edunt actiones. Hoc pacto decebat Salmãticenſes enodaſſe ſcrupulum coram me olim diſputatum, non ſicut piſces mutos ſilere. Iam verò, ſi ſola intentione caloris per totũ corpus expanſi febrim conſtituimus, quis ibit inficias vnquam, febris eſſentiam in ſola caliditate fore collocandam, ac minimè niſi cùm paſſio efficitur compoſita, calida ſcilicet & ſicca, copulandam eſſe illi ceu comitem indiuiduum, ſiccitatem? Porrò ſi in humidiore iuſto corpore ſuccẽdatur calor, nomine febris appellabitur, cum humida paſſione coniugatus? imò verò has duas paſſiones ſimul coëuntes figurauit Gal. 1. aphor. 16. Nec video cur non calida & humida diſtemperies in corde primùm incenſa, ac deinde toti communicata, ſenſibiliter ac per ſe actionibus officiens, non debeat dici febris. Quid igitur calidá & ſiccam appellat ſæpius Galenus febrẽ?

an ſicca. q

nimirum quòd febris corpus ſeorſum fatigans, mox ſibi aſſociet ſiccitatem abſumptis corporis humiditatibus. quod Auicenna fen. 1. primi, & Gal. 6. de ſanit. tuen. in princip. monuerunt: quibus in locis quatuor diſtemperantias ſimplices, haud diutius perſeuerare, quin caliditas maior quàm oportet ſibi aſciſcat ſiccitatem, proclamatum eſt. Haud temere dixi de febre per ſe ſumpta, locutos fuiſſe ſcriptores; nam ſi cum humida paſſione iungatur, qua ratione vetat humidũ victum tunc Galenus, ſimiliter vetaret, quominus febris illa ſicca paſſio dicenda ſit.

CAP. VI.

De more morbi noſcendo.

TERTIO loco quærendum eſt, quia eſt febris, hoc eſt, an ſit ſalubris an pernicioſa, ſiquidem hinc pendet deliberatio, illa iam dudum ſatis protrita, qua an ſit faciendum aliquid, nec ne, in his qui moriturus ſunt, deliberatur. ſed illud diſputabimus ſedulò, ſi prius, quibus modis dicantur morbi ſalubres, & quibus notis dignoſcantur, expenderimus. Morbi mortales bifariam dicuntur, aut quia tales ſint ſuapte natura, vtpote notis dubio procul mortalem morbum demonſtrantibus, deſignati, vt cùm morbum mortalem dicimus, in cuius initio deiiciuntur nigra, liuida, viridia, aut id genus alia contraria coctionis indicia, aut cùm alia ſigna videntur, quæ probatiſſimorum auctorum decreto mortalia pronuntiantur: verbi gratia, Conuulſio poſt vacuationem, & apoplexia fortis. alij ſunt mortales, qui de genere ſunt λυομένων, id eſt ſalubrium, (ſic etenim interpretandus eſt locus) fiunt tamen pernicioſi, præueniente morte, aut ob virium debilitatem, aut ob morbi magnitudinẽ, aut vtranque ob cauſam: quemadmodum dicitur, ſigna cruditatis haud quaquá ſignificare mortem, ſed tamen collatione facta virtutis, cum morbo poſſe illam optimè portendere. Sic porrò traditum eſt 2. Prog. com. De vrina, dum vrina rufa & tenuis mingitur, crudam ægrotatio-

Lib. de temp. totius morbi.

2. Aphor. 42. & 4. Aph. 5.

1. Aphor. 12.

tationem indicat, periculumque ſubeſſe, an æger perdurare poſſit, donec morbus concoquatur. Secundum genus mortalium ſola medicorum indicatione atque arbitrio cognoſcetur, quo vires morbi magnitudini & durationi comparantur: prius verò genus ex ſignis ſalutis vel mortis, ſeu morem morbi oſtendentibus venatur Gal. 1. de Criſ. cap. 14. & 3. de Criſ. cap 4. Signa deinceps ſalutis & mortis, aut in excrementis reperiuntur, aut in actione læſa, aut in diſpoſitione ſenſibili, quæ in corpore apparet: in excrementis quidem coctiones viſuntur, ſalutis certiſſima indicia, quorum comparatione reliqua ſigna infida dici poterunt; & minus ſtabilem habere poteſtatem, de ſolis nanque illis ſcriptum eſt. Coctiones celeritatem iudicij, & ſecuram ſanitatem oſtendunt. Cætera præterea, quæ ab actionibus & diſpoſitionibus ſenſibilibus, quæ corpori hærent, ſumuntur ſigna, nec fida, vt coctiones & incoctiones dicuntur, nec adeò infida vt critica, quæ variis temporibus varia portendunt, atque ſignificant: ſi enim apparuerint in principio, hoc eſt, crudo morbo permanẽti, mortem potius aut malam iudicationem inferunt: quę ſi tempeſtiuè conſulſerint, & perinde cocto iam morbo, iudicari optimè morbum illis viſis intelligitur. Quocirca 4. Aphor. 21. crudo morbo nihil bene vacuari poſſe ſcribitur. Et 2. Epid. parte 1. com. 15 dictum eſt, τὰ κρίνοντα μὴ αὐτίκα ἐπφαινέσθω, id eſt, decretoria non ſtatim appareant. Primo item Prorheticorum 4. ſtilla ſanguinis è naribus, & reliquæ vacuationes, quæ ſolent in ipſis initiis, & nondum maturis morbis comparere, mortaliũ claſſi liquidò adſcribuntur; quòd malignos humores, & fæuitate ſua irritantes naturã ad expulſionem oſtendãt excutere. Quanquã ergo plura ſigna ſcripta ſint, quæ de mortaliũ numero cõſcribãtur, in nullis tamẽ æqua fides offendetur, ac in coctionis & incoctionis indiciis; adeò vt ex delirio, aut alio peiori indicio, difficili reſpiratione, malo pulſu, nulla ratione firmum ſit mortis indicium, niſi quæ dicta ſunt, patrocinentur. Sic ſanè ſcriptum eſt 1. de Criſ. cap. 14. malus pulſus, difficilis reſpiratio, mente non conſtare, de genere

1. de Criſ. 14. & 3. Prog. 37.

1. Epid. parte 2. com. 44. & 2. Prog. com. de Vrina.

maloru m.

malorum ſunt ſymptomatum, quæ ſæpius talia ſunt, nec tamen fida ſunt adeò, ſicut ſigna contraria coctionis; atque hac ratione in commentariis De vrina, primam ſignificationem dedimus vrinæ ac certiſſimam, licèt ſecundam ac minus certam pulſui haud quaquam negauerimus.

CAP. VII.

Mortales non ſunt penitus præſidiis deſtituendi.

CVR ergo hanc quæſtionem præmiſit Paulus inter curationis febrium initia diſputandam? fortaſſe ne mortaliũ morborũ ſuſcipiamus curationẽ, tanquã idſit illi perſuaſum ex 2. Aphor. 29. & 1. Aphor. 8. mortales morbos ſolis præſagiis eſſe relinquendos, ac nullatenus eſſe infamanda auxilia, quæ pluribus hominibus fuerunt remedio. Cæterùm cùm contrariũ ſeruaſſe Galenum, Hippocratem, infinitis penè locis oſtenderim, hanc ethnicam ſententiam & arte medica indigniſſimam perpetuò exoſus, haud potui ſemper quibuſdam oblatrantibus canibus non contradicere, qui temerario quodam iudicio, quo in cunctis ferè rebus diſceptandis potiuntur, mortalium viſa ſignificatione, confeſtim aufugiendum eſſe temerè arbitrantur. Nam vt reliqua præteream exempla, Gal. 3. Epidem. parte 1. de eo qui in Dealcis horto habitabat, & de ipſo primo Pythione, & 3. parte com. 77. de Caluo Lariſſæ. 5. Epidem. de Scompho & Eupolemo texens hiſtoriam, eosque mortalibus morbis obtentos eſſe inſinuans, ſanguinis miſſione fuiſſe curatos putat. Item 4. Acutorum, apopleticus ille, qui interceptas habere venas deſcribitur, hoc eſt, pulſu orbatas, cùm aliàs apoplexia de genere mortalium, ſanatuque impoſſibilium dicta ſit, curari tamen ſanguinis miſſione, fomentorum gelatum ſanguinem fundentium vſu præmiſſo, contentiosè admodum præcipitur. Demum vtra ratione infamantur magis auxilia, num cùm illis, quantumuis efficacibus, contendis cum virium robore morbum demoliri? ſed cautiſſimè, hoc

11. Method. cap. 9.

hoc eſt,ſi ſanguinem demis,moderatius in tanto periculo eũ extrahere, ne copia territi miniſtri, culpam exitumq́; infelicem in te regerere valeant; an dum omnino animum deſpõderis, nihilq́; erga ſalutem ægrotantis comminiſcens, tergiuerſaris? Profectò cunctos videas propenſius multò queri de ijs qui omnino non tentauerunt remedia, & ſuam maxima cum diligentia oſtenderunt ſolertiam, quàm de ijs qui prudenter ſibi cauentes euidenter monſtrarunt morbi potius malefica conditione,quàm remediorum aut artis vitio mortem accidiſſe. Satius eſſe ducunt prudentiſſimi quique,non- 10. method. Celſus lib.2. nihil aliqua cum fiducia facere, quàm ſpe dempta certò pe- cap.10. rire. Et libro de locis in homine in periculoſiſſimis morbis periclitari conſulebat diuiniſſimus Hippocrates. Non imus tamen inficias,in eo morbo qui indubiam mortem pollicetur, qui ſanè nunquam ſine virium debilitate huiuſmodi cõtinget,non eſſe tentanda remedia,quæ ſanè ſunt nimium efficacia; at tunc,non quia mortalis ſit morbus, ſed quòd vires non ferunt, dimittuntur auxilia. Ergo in morbis mortalibus 10.method. ad finem. pronunciato ægri periculo,interim quod virtus omnino non prohibet,agendum eſt id quod morbus expoſcit. Aliter, cur 1. Prog. initio prædicere futuram mortem iubemur,quo crimine internecionis carere videamur, ſi mors obuenerit : ſiquidem auxilia in eiuſmodi morbis ſunt artis præcepto interdicta? Profectò non magis culparetur medicus nihil eo tempore efficiens, quàm vetula aut idiota quiuis, qui ignorantiæ tenebris inuolutus,in tanto rerum periculo mallet nihil experiri, quàm cæcorum more ſine duce in præcipitium ire. præſertim cùm nulla ſit tam certa nota mortis,quin ſalus nonnunquam ſequatur,robuſta virtute pellente quæ nocent excrementa. Quod præter Metonis & Herophontis hiſtorias Auicenna 2. 4. Tract. 1. cap. 26. hac oratione roborauit inquiens : Oportet vt confidas in ſignis bonis apud ſtatum, & vt timeas mortalia cùm accelerant,& non iudices per ea iterum, dum non vides virtutem cadere, ſolus enim caſus virtutis eſt ſignum malum. Itaq; dum Hippocrates vultum de-

mortui hominis figurauit, ſigna proponens ex diſpoſitione, in toto corpore ſenſibili, & actionibus læſis excerpta. Cauos oculos, (inquiens) collapſa tempora, liuidum colorẽ aut pallidum, delirium, feſtucarum collectionem eſſe mortalia; quis his ſolùm inſpectis certam præſagiet mortem? Nemo ſanè, qui aliquantulum in artis medicæ verſatus medicationibus ſæpius conſpexerit delirantes ſaluos euaſiſſe, & cum oculis cauis: liuidos præterea & nigros colores cutis non omnino damnari ab Hippoc. qui 3. Prog. digitos liuidos & nigros, nõnunquam decubitus cauſa tales fieri docuerit, atque idcirco neutra ſigna fuiſſe appellata, 2. artis med. Facies igitur optima bonum ſignum ſimpliciter, mala, malum ſimpliciter, bonus pulſus bonum ſignum ſimpliciter, malus pulſus malum ſimpliciter, mente conſtare, bonum ſimpliciter, mente non conſtare, malum ſimpliciter, 1. de Criſibus cap. 14. dicta ſunt, atq; non adeò fida, ſicut coctionis & incoctionis indicia. Adde poſtremò multos ſcripſiſſe Hippocratem qui ſubitò perierunt, quibus purgationes nihil contuliſſe affirmat, imò potius nocuiſſe, vt hinc palàm fiat non protinus morituros eſſe ab efficacibus remedijs depellendos, neq; deſtituendos eſſe miſeros ſpe omni, ceu furcæ deſtinatos.

CAP. VIII.

De præcognitione durationis morbi.

QVARTO quæret in conſultatione prima medicus inſignis, an longus ſit morbus, an breuis acutúsue. Quæ cõtemplatio eouſq; eſt neceſſaria, vt abſque ea neque victum inſtituere cõuenientem queant, neque de morte aut ſalute ferre iudicium, nec durationis morbi certam rationem reddere, nihil demum ſine ea præſtare poterunt, quod ſit aut arte aut artifice dignum. Iam verò victus ratio ſtatus comparatione extat inſtituenda, cuius intuitu in ijs, qui ſtatim extremos experiuntur labores, tenuiſſimo victu vtimur; in ijs verò qui paulò

3. acutorum vltimo.

paulò posterius, paulò crassiore, sicut in his qui protrahuntur longius, pleniore satis: illud perpetuò seruantes inuiolabile præceptum, vt pro virium robore & status longinquitate victus expediens instituatur; victum quidem tenuem in longis taxantes semper, & in acutis in quibus non conuenit, quanquam in his, sicubi alibi magis expedire censeatur. Sed quantum noxæ afferat error in cibatione commissus, satis probat sententia illa 37. 2. Acutorum, & Aphoristica illa, non pura corpora, quantò magis nutries, magis lædes. Ex quibus nitendum esse medico liquet, vt eatenus cibet ægrotantem duntaxat, quatenus necessarium esset ad virium conseruationem pro morbi duratione, & nihil amplius. Præterea cùm plures morbi fiant mortales præ virium debilitate, ob quam præuenit, necessum est sciat medicus morbi durationem, cuius respectu sunt pensandæ, & sine cuius durationis cognitione consultus medicus, de morbi termino haud quaquam poterit respondere. Cognoscet igitur morbi constitutionem seu durationem, ex morbi natura, magnitudine, motu & ex superuenientibus symptomatis: cognoscet etiam è rerũ non naturalium contemplatione, anni temporibus, scilicet, & regione &c. cognoscet insuper ex rebus naturalibus ipsis, habitu nempe, ætate & temperamento. Sic etenim supplenda sunt quæ Paulus de hac re scripsit, & Auicen. 1. 4. cap. 4. per Aëtium Serm. 1. 2. quater. cap. 22. Et Galenum 3. de Cris. cap. 4. Et 1. Aphor. 12. In primis quidem morbi species calida & perurens, citam terminationem pollicetur, qua ratione acuti morbi in quatuordecim diebus finiuntur, qui vt plurimum à causis calidis ortum accipiunt. Tertiana in septem periodis & in vniuersum ταχυκρίσιμος primo Epid. parte 3. dicta est. Magni morbi siue sua essentia tales sint, siue loci dignitate, siue etiam actionis præstantia vt angina, nulla ratione queunt in longum protrahi, quin aut interimant ob id quòd vis mortalium corporum fragilis magnas noxas haud sustineat diutius. Hac de causa angina respirationem offendens, delirium, cerebrum ipsum, sicut & apoplexiæ & epilepsiæ

1. ad Glau. ad finem.

2. Aphor. 23.

vehementiſſimus paroxiſmus, nequeunt eſſe diuturnæ paſſiones: quemadmodum neque febris maxima & ſimiles morbi in eſſentia grauiſſimi. Motus item oſtendit breuitatem morbi hoc pacto, ſi particularia tempora paroxiſmi ociùs pertranſierint breuem terminationem; ſi verò tardius ac ſegnius, longiorem ſignificant, vt Paulus, Auicenna & Gal. ſuis in locis monuerunt. Quippe paucam materiã & breui incenſam monſtrat breuis paroxiſmus, ſicut multam aut craſſam viſcidamq; longus: quod me hercule interpretandum eſt de morbis eiuſdem ſpeciei & naturæ. Nimirum epilepſiæ paroxiſmus breuior eſt tertianæ, eâ tamẽ eſt longior morbus epilepſia. Fiat igitur comparatio in ſpecie atoma & indiuiſibili, vt inter duas tertianas, fiat item inter duos morbos eodẽ tempore, quantum attinet ad morborum medicinalia tempora comparatos; namque ſi diuerſis temporibus, atque eiuſdem morbi varios motus contuleris, aliter inuenies eſſe aſſertum, atque experientia comprobatum: ſiquidem vbi anticipant paroxiſmi vehemẽtioresq; fiunt, ac longiores ſequẽtes quàm præcedentes, morbum augeri ac feſtinare in ſtatum ſuum omnes ſcriptores pronunciant: inter quos primus Hippocrates ſcribit, conſtitutiones morborum augurandas fore ex circuituum ſucceſſiuis incrementis, prout aut præcocius, aut ſerius reuertantur, de qua re multa 1. Aphor. 12. & 2. Epid. parte 1. com. 10. & 11. Rurſum ſi eadem omnino hora reuerti conſueuerint, longum morbum denunciare exponuntur 4. Aphor. 30. ob firmiſſimam cauſam, ac penitus immobilem, quam præ ſe ferunt. Ex ſuperuenientibus ſymptomatis roboranda ſunt quæ dicta ſunt ſigna, quòd ſine illis haud quaquam ſint veracia: vt enim 1. de Criſ. cap. 5. aſſertum eſt, quæ hactenus dicta ſunt, cõiecturalia ſunt omnia, & ab exacta ratione tempora diſtinguendi eatenus diſcedentia, quatenus id quod nullo modo eſt, exuperant, niſi ſigna coctionis addideris: ſæpius porrò anticipare anticipatione ſuperfluenti, (vt vtar Auicennę verbis) cernas paroxiſmos ocius repetere, vehementius fatigare, cùm nondum augmentum morbi appropin-

propinquat. Demùm ſicut præſentia tẽpora non diſtinguuntur niſi ſignis coctionis, vt Auicenna 1. 4. cap. 3. comprobauit, Gal. lib. de Temp. totius morbi, non aliunde deſcerni hæc poſſe decreuit, quàm ſignis coctionis excrementorum : hæc antequam veniant, ſic ſunt prænoſcenda, hoc eſt, ex coctionibus: quod nihil aliud eſt, ac cognouiſſe durationem morbi, quæ è ſtatus præcognitione pendet. Sic quoque Hip. 1. Aphor. 12. poſt alia adiecit, ſi ſputum ſtatim appareat, breuiat morbum. Et rerum non naturalium conſideratione iuuatur ſimiliter ſtatus præcognitio, atque in primis ex anni temporibus; quæ ſi fuerint æſtas aut conſimilia, vti regio, victus, motus, vigilia, ira, quæ ad calidam naturam vergunt, breuiorem faciunt morbum; & quæ ex his frigida, diuturniorem. Sed quòd res ſecundùm naturam ad id quoque iuuent, promptiſſimè quiſque intelliget. Nam habitus durus, compactus, temperamẽtum frigidum, ſexus fœmĩneus, ætas ſenilis, coctu difficiles morbos præſagiunt, ex 2. Aphor. 40. Rurſum temperamentum calidum, ætas adoleſcẽtium, maſculus, habitus raram texturam nactus, ad citam conducunt morborum terminationem. Hoc igitur pacto morbi durationem prænoſcimus, quæ (vt tetigimus) ex morbi temporum cognitione pendet maximè, atque hæc cùm non aliter exactè poſſint diſtingui quàm ſignis coctionis aut contrarijs coctionis (vt nos latiſſimè in commentarijs in libros de iudicationibus monſtrauimus) fit hercule, vt per illa totius morbi conſtitutio ſit noſcenda.

CAP. IX.

De criſi præſagienda.

QVinto in deliberationem adducet peritus medicus, ſit ne iudicandus morbus nec ne; nã hæc quoq; ſi præcognouerit, magnã ſibi cõparabit gloriã, atque apud vulgus nunquam interiturã famam. Criſis nomine hoc loco intelligas ἀξιώλογον καὶ ἐξαιφνίδιον μεταβολὴν εἰς χεῖρον ἢ βέλτιον ἢ σωτη- 3. de Criſ. ca. 1. & 1. Epid. parte. 3. cont. 13.

σωτηρίαν, ἢ θάνατον, id eſt, repentinam & magnam mutationem, in melius aut peius, aut in ſalutem, aut mortem. Solutio verò quæ fit paulatim, morborum nulla inſigni facta mutatione, ſolutionis nomine non criſis ſignificatur. Deinde hæc mutatio criſis dicta bifariam capi ſolet: aut enim pro antecedenti in corpore mutatione & conturbatione pluribus ſymptomatis demonſtrata, quæ ſigna critica dicuntur tantùm, aut pro ſequenti vacuatione ſeu abſceſſu, ſuis demonſtratis ſignis, quæ ſigna critica & cauſæ nuncupantur, accipitur. Priorem, quæ fit in repetentium febrium exacerbationibus, propriùs appellat criſim Gal. 1. de Criſ. ad fi. atque hanc certius præſagies. Prænoſcemus igitur criſim ex Paulo lib. 2. cap. 6. & 9. & Oribaſio 6. lib. cap. 3. Aëtio cap. 22. Serm. primi, 2. quaternio. Gal. 3. de Criſ. cap. 4. ex ſpecie morbi, magnitudine, motu, anni temporibus, ac perinde ex rerum non naturalium cognitione, & ſuppleas, ex rerum naturalium cognitione. Quare ex eiſdem prorſus longitudinem, & breuitatem, præterea & iudicium eſſe futurum aut non, diiudicabimus. Calidæ quippe & vrentes iudicantur ſaltem per euacuationem. Magni iudicantur morbi, parui nequaquam, qui mouentur anticipando vehementius, &c. non qui cunctantiùs &c. Et ſi in die indicatorio vifantur coctiones, in ſequenti die decretorio eſt criſis præiudicanda. Poteris ſi motum attenderis accuratius diem prædicere, ſi præſciueris morbum per pares motum, in paribus iudicandum; qui per impares, in imparibus. Quam ob rem ſi præierint præfata ſigna, & coctionis indicia in quarta die, moueturque morbus tertio quoque die, in quinto aut ſeptimo pro morbi celeritate iudicabitur: Et ſi hora pomeridiana ſolitus eſt exacerbari, eadem venturã iudicationem: Et ſi ſymptomata, quæ iam appropinquantem criſim oſtendunt, conſulueris, non ſolùm diem horamq; præſagies, ſed & ſpeciem criſis; nempe aut vomitum, aut ſanguinis fluxum, ſi ſurſum repant humores; ſi verò deorſum per aluum aut vrinas, aut hæmorrhoidas, aut vterum venturam. Si verò ni-

Primo ad Glau. ad fi.

rò nihil iſtorum ſignificauerit, ſed potius cutis madere percipiatur, ſudorem expectabis. Quæ omnia ex his quæ non adſunt ſymptomatis, & ex his quæ adſunt, extant aucupanda; quòd hæc doceant, quò impetum faciant humores. Verbi gratia, dum inſtat criſis diei futura, nox antè difficilis; dum verò noctu eſt futura, dies præcedens eſt laborioſa, ex Paulo, Gal. 1. ad Glauco. qui ſupplere videntur Hippocratē, qui de criſi diurna ſolùm videtur eſſe locutus 2. Aphor. 3. quod cernes dum dolorem capitis recens ſuperuenientem, ſcapularum, temporum, rubedinem oculorum, malarum, lachrymas oculorum, deliria, inquietationem, vigilias, ſplendores oculorum, & multa alia id genus ſuperuenire conſpicatus, ſurſum humores aſcendere intellexeris; ac deinceps ſi nares pruriunt, ita vt æger ſcabere cupiat, ſanguinis fluxum ſpecta, præſertim ſi ſolitus ſit æger illū alias pati, & eo tēpore ſit conſueta criſis & retēta ſit vacuatio aliqua ſanguinis: rurſum ſi labrum tremat, & ventriculi os vellicetur, per vomitum fiet, ſi priora ſigna patrocinantur: quòd ſi in partibus ſuperioribus nullum præfatorū indiciorū appareat, ſed potius in inferioribus, deorſum rapi humores credendū eſt, ac per eā partē, cui magis peculiaria ſymptomata cōtigerint. Sed de his 3. de Criſ. abundè diximus, ad methodum cuncta reducentes. Quocirca nemini dubium erit ſigna critica, ſiue illa ſint ſigna tātùm, ſiue ſigna & cauſæ, non poſſe bene principio morbi comparere. Quod ſapientiſſimè notauit Gal. 4. Aphor. 21. & 47. & primo Prorrhe. 4. quibus in locis tentatæ vacuationes, malignos humores qui intempeſtiuè vires ſtimulant, portendunt; præterea & virium debilitatem, quæ ſtimulatæ expulſionem aggrediuntur, eam tamen non abſoluunt præ nimio languore. Hac ratione has maculas quas hodierno die Pinciæ videri omnes proclamant, quasque 2. Epid. parte 3. com. 7. culicum morſibus ſimiles refert Hip. poterunt viri docti reprobare, ſicut locis citatis damnantur, ſtillæ ſanguinis è naribus, aut ſudor ſæpius tentatus, aut fluxus alui / liquet quoque quibus ſignis perfecta iudicatio ſit cognoſcenda,

de maculis

da, nempè si in die iudicatorio, si indicata, si recto tramite, si per euacuationem, si omnis noxius humor vacuetur, si cum tollerantia, si morbus tollatur, & omnia eius symptomata cessauerint, si præcesserint coctionis signa. Omnis porrò noxius humor vacuari debet in prædicta iudicatione, alioqui timenda est reuersio ex Aphor. quæ relinquuntur in morbis: qua de causa Tymenei neptis recidiuauit, & mortua est, siquidem indicata per abscessum paruum in digito, haud potuit vniuersus humor vacuari. Debent ad hæc crises fieri pro dignitate morbi atque eius magnitudine, iuxta illud 2. Epid. parte 1. com. 24. ἢ τὰ τοιαῦτα ὅσα ἀποστάσεις μὲν ἔισιν ἀθρόως ῥεύσασαι, καὶ μὴ ἡμιῤῥόωως, id est, aut consimilia, quæcunque abscessus sunt confertim & multum confluentes, & non semifluentes. Apertum sanè est in 22, 23, & 24. commen. abscessus nomine significasse Hippocratem tam vacuationes, quàm veros abscessus. Omnia item debent cessare symptomata, ac morbus ipse; vacuata quippe tota materia, nullum supereſſe debet morbi prægressi symptoma: quod si permanserit facto iudicio, relinqui intus aliquid significatur ex 6. Epid. parte 2. commen. 22. Atque hæc profectò methodicè conijcies, quando supererit aliquid morbi ex quo timenda est reuersio; neque opus erit meminisse tot signorum quot Auicenna numerauit 1. 4. Tract. 1. cap. 96. cùm satis sit dixisse, si manet præcedentis morbi aliquod signum. Tolerantia requiritur, qua non inuenit certiorem notam Galenus apud Hippocratem, ad metiendam quantitatem vacuationis, quam adhuc dignosces, si responderit æger se leuiorem redditum, ad motiones promptiorem, appetere dormire. Et demum si coloratior sit effectus, vrinas sanas videris, & pulsum ad æqualitatem suam redeuntem: id enim apud Paulum εὐσφυκτότερος, non vegetior: nam quî per Castorem, pulsus erit fortior in fine morborum, post tot conflictus & ieiu-
1. Aphor. 20. nia? Has crises per euacuationes effectas censuit Galenus meliores his, quæ per abscessum fiunt. In alijs morbis longioribus postulat crisim, saltem eam, quæ fit per abscessum, iuxta

iuxta ſententiam 44. 4. Aphor. Quibus febres longæ, abſceſſus fiunt ad articulos, ad eos inquam, in quibus dolor, laſſitudóue aliqua, aut morbum præceſſit, aut dum conualeſcunt excitatur. Docuit eos præſagire 3. Prog. 23. & 24. Si qua febris prorogatur ſaluè affecto homine, & abſque cauſa manifeſta, abſceſſum expectare oportet &c. præſertim in fortioribus ætatibus, hieme &c. de quibus 2. Epid. parte 1. com. 23. Abſceſſus optimi qui infra ventrem, & longiſſimè infra ventrem, & ad partes diſtantiſſimas ſeu remotiſſimas à morbo. 4. Aphor. 31. & 32. & 33.

CAP. X.

De diebus decretorijs.

FIdes iudiciorum accedit à diebus decretorijs, quod ſæpius Galenus affirmat; quam ob rem nonnulla de illis in hunc locum ſunt transferenda. Dies iudicatorius dicitur, non quòd in eo criſis accidat, hac quippe ratione omnes eſſent iudicatorij; ſed in quo perfecta, crebraq;, bona, certa, tuta & cum tolerantia, & indicata prius: Si enim crebra fiat in eo iudicatio, merito hanc ſibi vendicabit vim & appellationem, quoniam natura eorum eſt quæ vt plurimum fiunt. Sit perfecta, qua nihil relinquatur humorũ morbificorum, quoniam relicta poſt iudicationem reuerſiones morborum facere conſueuerunt. 6. Epid. parte 2. com. 20. Certa ſit quæ redire morbum non patiatur; tuta & ſine periculo. Ad ſalutem præterea ſi iudicetur, bona erit, & benè ferat ægrotus; præcedenti indicatione in aliquo dierum contemplabilium. Hac præmiſſa declaratione, non omnes dies ſunt decretorij, ſed quibus aut omnes præfatæ notæ conueniunt, aut plurimæ. Quapropter tres claſſes eorum, dignitate ſe ipſos ſuperantium deſignantur. Sed prius quàm enarrentur, hac methodo inueniantur. Dies qui per quaterniones repetitos reſultant, ita tamen vt priores duæ ſeptimanæ ſeparatim iungantur, tertia verò copulatim, vſque ad vigeſimũ, dicuntur per ſe & à prima radice confirmare iudicia: Et quẽ-

admodum ad vigeſimum vſque diem effecimus, à vigeſimo vlterius progrediendum eſt, nobis diſiungentibus duas ſeptimanas, copulantibus verò tertiam. Qui verò motum materiæ ſequuntur, potiſſimumque bilioſæ per tertium, dicuntur intercidentes ex accidenti decretorij, quoniam in eis iudiciũ fit ob materiæ agitationem non aliundè; cuiuſmodi eſt tertius, quintus, nonus, vndecimus & reliqui deinceps per tertium recurrentes. Differunt autem hi dies, quoniam illi ad prædicendam futuram criſim ſunt idonei, hi ad confirmandum iam factum iudicium: rurſum illi iudicant omnibus ritè peractis; hi verò erratis quibuſdam: voco errorem aut extrinſecus accedentem, aut eum, qui ex motione humorum ſequitur, naturam ſæpius ſtimulantium ad expulſionem. Hac ratione primæ claſſis exiſtunt ſeptimus, primus & dignitate & potentia, quatuordecimus, nonus, vndecimus, vigeſimus, decimusſeptimus, quintus, quartus, tertius & decimus octauus. Ad ſecundam claſſem pertinent ſextus omnium peſſimus, octauus, decimus, duodecimus, decimus ſextus, & decimus nonus. Inter has claſſes duas medius eſt decimus tertius. Prior claſſis bonorum eſt dierum & feliciter iudicantium, ſecunda malorũ & infœlicium: ſed priorem claſſem ſecato iterum in eos qui per ſe, & eos qui ex accidenti decernunt. Septimum diximus primum dignitate & potentia aliorũ dierum comparatione, licet Auicenna quatuordecimum præpoſuerit, fortaſſe aſpectum ſupernum intuitus, qui ex diametro reſpicit initium circuitus, qui in mẽſe illuminationis plenilunium dicitur. Galenus verò magis reſpexit materiæ ad motum habilitatem, quæ quanto ocius iudicatur, promptior eſſe cenſetur; cuius defectu fit in progreſſu vt in ſecundi mẽſis aſpectu reſpondenti plenilunio, rara fiat iudicatio, ſicut & poſt quadrageſimum rariſſimè. Decimum octauum inter iudicatorios recenſuit primę claſſis, cùm nec intercidentium ſequatur generationem, nec eam quæ quaternionum repetitorum; quintus ſiquidẽ quaternarius decima ſeptima die complendus eſt. Reſpondetur Aëtium & Auerroem haud memi-

meminiſſe decimi octaui in prima claſſe, hanc fortaſſe quæſtionem conſiderantes: Galenus tamen 2. de diebus in principio, primo ordini decimum octauum attribuit: ſed id intelligendum eſt, ſecundùm eos, qui integras ſeptimanas annumerant, quorum ſententia quintus quaternarius decimo octauo finitur, quod etiam Auicenna ex Archigenis ſententia arbitratus eſt. Sed quanquam hoc ita habeat, in Archigenemq; referatur acceptũ, adhuc vrget ſcrupulus; ſiquidem eadem ratione computandus foret vigeſimus primus, qui finis eſt tertiæ ſeptimanæ integræ, præſertim cùm hoc loco computari debeant, qui per experientiam probati ſunt dies eſſe tales, nequaquam qui aut motum ſequãtur materiæ, aut cauſarum ſupernarum, hoc eſt, quaternionũ repetitionem. Decimus nonus etenim & decimus quintus de numero ſunt etiam intercidentiũ, per tertiumq; diem recurrentium morborum. Quòd ſi experiẽtia probatum dixeris eſſe decimum octauum, computandæ ſunt hebdomadę integræ, quod Hippocrati & Gal. repugnat. Dicta relegito. Ad vigeſimum vſque diem contentioſiſſimè fiunt criſes, Græcè ἀγωνισιμώτατα, hoc eſt copioſæ & confertim. Poſt vigeſimum verò hebeteſcunt iudicia, & rarius fiunt, ac nec id fit, niſi per ſeptimanas, vigeſimo ſeptimo dico, & trigeſimo quarto, & quadrageſimo, in alijs rariùs aut nunquam. Poſt quadrageſimum per vicenos circuitus, ſexageſimo, octuageſimo & centeſimo. Poſtea verò per menſes 7. & 14. 3. Aphor. 28. quanquam raro, atque id per abceſſus potius. Inter hoſce dies quidã ſunt indices aliorum, ſuntq; præcedentes quaterniones ſequẽtium, diciturq; dies illa index ſequentis, in qua aut monſtratur coctio, aut incepta apparet criſis ſpecies, vt modicus ſudor aut ſanguinis è naribus fluxus, iuxta illud Hip. Quibus ſeptima iudicatur, his quarta die nubeculam habeat rubram neceſſe eſt. Ex quo Aphor. hanc percipies ad portionem in alijs ſeruandam interpretationem, ſcilicet æquale fore ſpectandum ſpacium temporis poſt indicationem effectam, ei quod interfuturum eſt ad iudicium vſque. Si ſcilicet indicatur in quarta die, in

3. Prog.

post. 20.

post. 40.

4. Aphor. 71.

ſeptima iudicabitur, ſi in ſeptima, in decima quarta fiet iudicium. Atque id non moneo vt neceſſarium, ſed vt ſeruandum propè ſemper: interim tamen motus æquabilitatem attendito, & cauſas aut tardantes motum, aut accelerantes, vt non te lateat quando, aut ſerius, aut citius id continget.

CAP. XI.

De cauſa dierum criticorum.

Manardus ſola obſeruatione dierũ criticorum certitudinem tuetur.

CVriosè admodum quæſitũ eſt principium & cauſa huius tam antiquatæ dierum dignitatis & præſtantiæ, quam quidã in ſolam obſeruationẽ retulerunt, ignorantes prorſus altiores cauſas, quos facilè tuebitur quiſpiam. Nam ſicut rogatus cauſam ob quam homines triginta tribus annis perfectam nanciſcantur ætatem, & non antea: & cur carnes duabus horis mediocri igni coquantur, antea minimè; cur etiam fructus tanto tempore matureſcant, neq; ſerius aut citius: procul dubio hãc aſſignabit cauſam, quam à philoſophis accipiet, qui omnem actionẽ in tempore fieri decernũt: quod quantũ ſit; certa ratione nunquam definient, niſi experientiam ſpectauerint, quæ temporis quãtitatem pro ſingulis actionibus declarat. Eadẽ ratione, dicẽt, acuti morbi certo tẽporis curriculo & ſpatio finiuntur, quod quidem experientia declarauit eſſe quatuordecim dierum: acutorum valdè ſeptem dierũ; acutiſſimorũ quatuor dierũ: alios deinceps quadraginta, atq; alios ſexaginta, alios ſeptem menſibus, quatuordecim annis, atque alios denique pluribus experimur circumſcribi aut diebus, aut annis. Neque eſt cur vlterius pergas in reddenda ratione dierum criticorum, & morborum in eiſdem terminatorum: ſicut nemo moraretur circa quæſtionẽ hanc, cur perfectionẽ ſuam cõſequantur homines triginta tribus annis plus minúsve, ſi ſemel illud experimentis ab ipſa mundi origine obſeruatis ita habuiſſe comprobauerit. De intercidentibus diebus eadem reddetur reſponſio,

ſponſio, niſi quòd peculiaris accedat humorũ agitatorũ motus, aut vrgentius aut lentius impellens naturam ad functionem ſuam abſoluendam. Reliqua medicorũ turba præter experientiam longiſſimo vſu confirmatã atque ſtabilitã ſupernarum cauſarũ accedere vires atq; influxus autumat, atq; ij varia ratione illud tuentes; menſis illuminationis ſpatio & motu quidã illos metiuntur, ſcilicet viginti ſex diebus cũ dimidio; alij viginti ſeptem & octo horis, quem motum peragrationis Aſtronomi nominant: alij verò de quorum numero primus extitit Galenus, viginti ſex diebus & viginti duabus horis, qui medius extitit inter duos priores copulatos ſimul. Quos motus, ſi quiſpiã in duas partes medias, aut quartas, aut octauas partiatur, inueniet quot horas occupet ſeptimana, quot quaternarius, & quot dimidius mẽſis. Sciens, hæc haud vnquam eſſe numeranda integra, menſem (inquam) annum, ſeptimanam, quaternionẽ: cùm viginti diebus clauſerit tres ſeptimanas, 3. Prog. com. 4. ſcribens. Fieri non poteſt vt horum vllum exactè integris diebus numeretur: non enim annus aut menſis integris numerari diebus apti ſunt. Laudauit magis Gal. poſtremum motum & medium, quem fictum nonnulli appellant, non quòd verus non ſit (id etenim non probarem, vt qui intelligam extremis poſitis poni neceſſariò medium) ſed quòd nullus ante Galenum illius vnquam meminerit, nec inueniendi illius rationem reddiderit, quæ hercule ex compoſitione duorum extremorum, atque exinde in duas dimidias & æquales partes diſſectorũ ipſum medium conſtituit, atque excogitauit, non ſecus ac Arithmetici faciunt, componentes ternarium & ſenarium, vt deinde compoſitum diuidentes in duas partes æquales, mediũ numerum inueniant; nimirum tres & ſex nouem efficiunt, quem deinde in duas partes æquales partientes, inueniunt quatuor cum ſemiſſe medium emergere. Secundùm quam Galeni opinionem non ſunt ſpectandi aſpectus integri, quos efficit motus peragrationis, ſed multò ocius ſuam vim in hæc inferiora producunt, quantò qui iuxta Galenicum

Auice. 2ª. 4ª. Aſtronomi.

menſem reſultant, citius conſtituuntur. Neque hoc Aſtronomorum placitis videri debet peregrinũ; ſiquidem vel eorũ ſententia ante aſpectus ipſius conſtitutionem, & poſt experimur peragrationis motus ſeu circuentis vires, atq; influxus. Cæterùm quia vis aſpectuum infinitis propemodum ſæculis eſt confirmata, iuxta circuitionis menſem, variatque Galeni menſis ſecundum illius permutatã durationem; ſemper cõſului tyronibus, vt Aſtronomorum imitẽtur pro viribus computationem, integras ſeptimanas annumerantes. Neq; refert ſi nonnunquam vigeſimum melius decernentem aut vigeſimum primum ſentiamus: quandoquidem vtriſque accommodanda videtur prẽcipua dignitas decernendi, an æqua nihil curo, dũmodo certò teneamus motus hoſce non eſſe perpetuò æquales, ſed nunc breuiores, nũc verò longiores exiſtere, atque ex ratione fieri, vt vigeſimus iudicet fœliciter, ſimiliter & vigeſimus primus.

CAP. XII.

De pulſibus.

PVlſus eſt motus cordis & arteriarum ex diaſtole & ſyſtole compoſitus, à virtute vitali factus, ad ſeruandam ſymmetriam natiui caloris. Hoc quidem pacto ſupplenda videtur Pauli & Auicennæ definitio ſubſtantialis, hoc eſt, quæ per cauſas ſuas redditur; nam notionalem ſeu notam per ſe cunctis, quam tractatione de pulſibus aſſeruimus maximè commodam ad demonſtrationes, paucioribus verbis vſi, iſtis exponeremus. Eſt motus inuoluntarius in quibuſdam noſtri corporis partibus perſpicuus, ex diaſtole & ſyſtole compoſitus. Finem eſſe diximus ad caloris ſymmetriã ſeruandam, quæ quidem ſeruatur, expurgatis fumis per ſyſtolen, temperato calore & ventilato, & generando ſpiritus, quando deſunt, per diaſtolen. Cæteras cauſas prætereo nũc, quas commẽtatione de pulſibus explanauimus ad amuſſim; atque ideò conſulentes compendio, eas reticebimus hoc loco.

co. Differentiæ pulſus decem conſtituuntur apud Paulum, quas haud negauit Gal. tametſi quilibet peritorum nonnullas facile reijceret à pulſus exacta ratione, calidum ſcilicet, durum & illis contrarias: veruntamẽ cùm nihil omnino noceat inſtituto illas in numerum pulſuum admiſiſſe, aliorum ſequentes conſuetudinem de decem pulſuum differẽtijs caput inſcribemus, & iuxta cuiuſque naturam ſigillatim cauſas ſubſcribere conabimur. Arteria itaque corpus eſt oblongum, cauum à centro verſus circumferentiam iugi motu agitata, & à circumferentia centrum verſus ex omni parte, quæ quidem dum mouetur, ſi motus velocitatem & impetum attenderis, differentiam velocis, tardi & medij inter eos inuenies. 1ª. differentia
Si ſpacij magnitudinẽ, magnum, paruũ & medium. Si quietum tum internarum externarumq; perpẽdas, aut magnum interuallum aut breue, rarum, crebrum & inter eos mediũ. Secunda Tertia
Si vehementiam impellentis arteriæ, quod ad virtutem pertinet, vehementem, languidũ & medium. Si verò cauitatem ceu plenam ſenſeris aut inanem, plenum, vacuum & mediũ. Quarta Quinta
Si conferas motus diaſtoles cum ſyſtoles tempore, reſultabunt differentiæ pulſus, εὔρυθμος ἢ ἄρυθμος, id eſt, eurythmus & arythmus, ſiue ſit pararythmus, ſiue hererorythmus, ſiue ecrythmus. Sexta
Quod ſi corpus arteriæ calidius æquo fuerit, calidum, frigidum ei contrariũ, & medium etiam elicies. Idem ſi durius ſit, durũ efficit pulſum; molle verò, mollem pulſum. Septima Octaua
Hæ ſunt pulſuum differentiæ, quarum medius naturalis eſt in temperato corpore, cuius comparatione reliquas tales eſſe dicimus, ſimplici quidem & abſoluta appellatione magnum, velocem, durum, plenum & ſimiles nuncupantes. Quando verò cuiuſque corporis intuitu eiuſmodi exceſſus ac defectus contemplamur, præſertim ſi expendatur ad diſtemperatum corpus, non iam ſimpliciter, ſed comparato ſermone vtentes, maiorem, minorem, velociorem, fortiorem &c. appellamus.
De vehemẽti addubitatum hucuſque eſt, num medius ſit in corpore temperato, an poſſit dari vehementior in alio corpore. Cùm enim virtutis robur temperamẽtum poſtulet, hocq;

ſit

ſit maximum in temperato corpore, in illo neceſſe eſt robuſtiſſimus ſit pulſus. Verùm quia irati, recens epoti, cibati, pulſus edere vehementiores apertè videntur, quando eucrato corpori vehementiſſimum mancipauimus, quietum ipſum eſſe volumus & ab omni perturbatione alienum: quòd ſi aut iratum aut alia ratione pulſum ediderit vehementiorem, nihil interturbat præfatam ſententiam. Si hæ pulſus differentiæ comparentur ad inuicem & æquales ſemper ſibi inuicem ſucceſſerint, pulſus efficiunt æquales; quæ ſi haud conſtiterint, ſed potius impariter pulſauerint, diuerſus efficitur pulſus, idq; vel in vna pulſatione vel in pluribus, & in vna adhuc, aut ſub vno digito, aut ſub pluribus. In pluribus pulſationibus eſt inæqualis æquabiliter, atque tunc pulſus fiunt decurtati vel ſimpliciter, vel deficientes, vel recurrentes. Eſt etiam inæqualis inæquabiliter, quo tempore nullum retinet nomẽ, ſi demas deficientes, Græcè διαλήποντας, & intercurrentes, Græcè παρεμπίπτοντας, quorum ille claſſi rarorum adſcribitur, hic verò crebrorum. In vna pulſatione diuerſus, atq; ſub vnico digito, tres gignit differentias, continuum diſparem, cuius nulla ſpecies nomen ſortita eſt proprium, interruptum, ſeu interſectum, barbaris intercadentem, cuius vna tantùm ſpecies nomen ſortita eſt caprizans, & dicrotum, hoc eſt, bis pulſantem. Sub pluribus digitis in vna pulſatione, aut eſt continuus, id eſt, omnes digitos pulſans, aut interruptus. Continuus rurſus, aut æquabiliter diuerſus, ac tunc creat decurtatorum ſpecies, de quibus dudum fecimus mentionem, aut inæquabiliter, ac tunc ſi addas poſterioris ac prioris rationem ſecundùm tempus, atque in ſitu permutatas poſitionis differentias, vndoſum, vermiculantem, formicantemq; produces, qui ſola magnitudine diſcrepant: deinde vibrantes, conuulſorios, ſerrantes, quibus omnibus accedit hecticus pulſus ſibi ſimillimus nihilo diuerſus, ſed ſolius naturalis comparatione.

CAP.

CAP. XIII.

De cauſis pulſuum.

CAuſarum quædam continentes dicũtur, quòd ſubſtantiam rei contineant, quæ ſunt virtus pulſatoria, arteria, & ſeruatio ſymmetriæ, ſine quarum permutatione, non poteſt pulſus permutari vlla ratione, vt diuulgato iam libro de pulſibus fecimus id perſpicuum. Itaque ſi pulſus à ſua natura mutationem aliquam patiatur, cõfeſtim trium iſtarum cauſarum aliquam fuiſſe alteratam deducas neceſſe eſt. Cui contemplationi mox ſuccedit alia, quę de cauſis permutantibus continentes pertractabit, quæ quidem communi appellatione cauſæ alterationis vocantur. Hæ igitur quæ continentes cauſas pulſuum euariare ſunt natæ, aut ſunt externæ, quas alio nomine non naturales appellant, aut internæ: & hæ iterum, aut ſunt naturales ad tres potiſſimùm redactæ, ſexum (ſcilicet) ætatem & temperamentum, aut præter naturam, quæ in morbum, cauſam & ſymptoma, iuſta diuiſione ſecãtur. Ergo per ſingulas præſcriptarum cauſarum differentias diſcurrentes, cuiuſq; pulſus rationem deſignare tentabimus; quantum ad compendiariam attinet rationem, & properantibus ad febrium curationem pertractandam conducẽtiſſimum eſſe videbitur. Sed prẹmittamus, pulſuum differentias quaſdam eſſe neceſſariò conſequentes, cuiuſmodi ſunt, quæ vnicam cauſam ſequuntur, & illi perpetuò inhærent; quaſdam verò alias familiares, contraria ratione deſcribendas, videlicet, quibus nec vnica cauſa deſignari poteſt, nec ea perpetua. Molles itaque, duri, arteriam duram aut mollem ſequuntur neceſſariò, ſimiliter & vehementes, robuſtam virtutem, languidi languidam, pleni plenam arteriam, vacui vacuam: calidi calidam, frigidi frigidam: familiares rurſus calori exaucto, magni & celeres: crebri verò languidæ facultati, duro inſtrumento & calori immoderato. Inſuper tres eſſe modos tangendi pulſum, palpationis (ſcilicet) quam Græci appellant ψαῦσις, ſimplicis admotionis, Græcis ἐπιτέθεσις ἁπλὴ, compreſſionis, apud eoſdem θλῖψις: quibus

varijs pro vario ſtatu virium vtẽdum eſt. Palpatione quidem in debilibus, & in his, quorum externam quietem & finem diſtenſionis depræhendere ſtudemus: ſimplici verò admotione, cùm vires mediocriter habent,& vtriuſq; motus, tam diſtenſionis, quàm conſtrictionis iuſtam portionem aſſequimur. In fortiſſimis autem, & quorum compreſſionis finem exacta notitia quæ eſſe poteſt, dignoſcere volumus, compreſſione vti conſueuimus. Statuamus igitur in magnitudinem creuiſſe pulſum, manente arteria inuariata & virtute,reliquum eſt vſum caloris fuiſſe adauctum: tunc deinde arguet peritus medicus, aut à cauſis externis, ſeu non naturalibus dimanaſſe, aut à corporalibus ſeu internis, ijsq; aut ſecundum naturam aut præter naturam. Res non naturales augent quidem vſum, ſicuti calor ambientis nos aëris, emplaſtrorum calidorum, balnearumq; vſus, potus ac cibus calidi, motus nimius, vigilia immodica, Res naturales, ſexus, ætas,temperamentum,non mutantur ſubitò,ſed longo temporis tractu; & dum ſemel mutantur, ſtabiles & diutiſſimè duraturas generant affectiones. Res præter naturam aut eſt putredo, aut diſtemperies aliqua calida, quæ ſine putredine orta ſit,cuiuſmodi eſt diaria febris,hectica & ſimiles cauſæ.Si ergo conſtiterit interrogatione prius facta, & ſimul ac cautiſſimè mores ægri dignoueris, & ingenium famulantium, à cauſis non naturalibus haudquaquam eueniſſe hanc pulſus magnitudinem,neque à cauſis naturalibus,ob cauſas dudum memoratas, præternaturalium aliquam colliges,quæ corporis incendium exauxit. Subinde, poſt magnitudinem celeritatem apponit ſi calor fiat intẽſior, ac poſtremò crebritatem; ſi ob intenſionis augmentum eò peruenerit pulſandi neceſſitas, vt illi celeritate & magnitudine nunquam plenè ſit ſatisfactum. Quocirca, vbi magnitudinem duntaxat pulſus quiſpiam inuenerit eſſe adquiſitam, paruum incendium cõiectabit; maius, ſi celeriorem; maximum, ſi ſimul crebritas comparata ſit. Quòd ſi quiſpiam obiecerit: facilius eſſe crebritatem primam acquirere pulſum, quàm magnitudinem,

Lib.de cauſis morborum.

vti Fer-

vti Fernelio libro Pathologiæ placuit, ita crebro vſu venire in febribus aſſerenti; aut cum vulgaribus Auicennæ interpretibus omnes ſimul has tres differentias comparari defenderit. Reſpondetur, promptiorem eſſe magnitudinem & naturę familiariorem, ac perinde hanc in primis capeſſere, & quia plus vnica magna pulſatione neceſſitati ſubueniſſe videtur, quàm pluribus paruis. Iam verò nemo eſt, qui non potius amplectatur vnicam actionem, quàm plures, modò illa magis expleat agentis deſiderium : ſicut homo prius graditur, vrgente neceſſitate, maioribus paſſibus, quàm quod celeritatem aut crebritatem apponat. Sed quandocunque à magnis, velocibus, crebriſq; ad contrarios fit mutatio decreſcenti vſu, contrario ordine ac fuerunt comparatæ deperduntur : crebritas, ſcilicet, primùm, deinde celeritas, vltimò magnitudo: quòd ſemper retineat quàm maximè poteſt magnitudinem virtus, ceu ſibi cognatiorem actionem & promptiorem. Niſi verò ob aliquas cauſas pluſquàm oportet tarditas, paruitasque eatenus accreuerint, vt penſanda ſit neceſſitas crebritate, quod equidem efficitur in mulieribus pituitoſis valdè, & otio deditis hominibus, in quibus ob onus arterijs incumbens, magnitudinem nequit vis pulſatrix producere, atque idcirco reſarcit defectum crebritate. Id idem in duris pulſibus contingit. Latus pulſus ob humiditatem vndecunque quæſitam, quæ obtemperantem plus iuſto reddit arteriam, negatis deſtructísve cauſis non naturalibus, præternaturalem aliquam inferet; ſimiliter & altus pulſus, ſuffragante robore facultatis: ob quam rem irati altum pulſum edunt contentioſe agentes, non tam liberè obedientibus arterijs à latere, quàm ſecundùm anteriorem regionem. Longus pulſus non eſt vnquam pluſquam poſtulat longitudo arteriæ mutabilis, verùm tamen apparet nonnunquam longior ob maciem corporis, quæ arterias alias occultas detegit, præſertim ſi reliquæ dimenſiones minuantur: ita enim natura comparatum eſt, vt longitudo notetur, profunditate & latitudine decreſcentibus, ſicut rurſum decreſcenti longitudine, aliæ videntur emergere. Vocaturq; hic

craſſus, ſicut prior gracilis. Pulſus vehemens à virtute valida neceſſariò conſequitur, tametſi adiecerit Paulus, dum modò neque vſus exolutus, aut inſtrumenti durities obſtiterit; Galeno hac in parte aduerſus, qui neceſſariò conſequentem appellauit eiuſmodi pulſum, hoc eſt, virtuti forti hærentẽ perpetuò & illi ſoli. Vehementia quippe & validus impulſus nõ impediuntur à duro inſtrumento, neque ab vſu diſſoluto, ſed magnitudo: languidus à virtute debili neceſſariò. Si hos igitur offenderis pulſus, fortes inquam, aut à cauſis internis, aut externis conijcies roboratam eſſe facultatem. Si ergo neque vino, neque cibo vehementiam partam eſſe conſpexeris, neque exercitio, neq; ira, humorum crudorum coctionem, aut excretionis impulſum elicies. Languidiorem verò reddunt externæ quidem vacuationes & immodicæ paſſiones animi, aut diſtemperies febrilis maxima, ſicut impenſa frigiditas, interna cauſa. Durus pulſus à dura arteria neceſſariò comparatur: hanc duritiem res externæ faciunt, potus aquæ frigidę, balneæ frigidæ, euacuatio nimia, quæ ſiccat arteriam; internæ verò, inflammatio tendens vt in pleuritide; ſiccitas, vt in maraſmo, & ſpaſmo ex inanitione, & repletio plethorica. Mollis pulſus, ob cauſas humectantes externas quidem, balneum temperatum, ſudorem, cibos, potus, ocium & ſimilia; internas verò, morbos humidos, vt ob lethargum, hydropam & præſertim leucophlegmatiã, ſeu hypoſarcam. Calidus pulſus dici poteſt ſemper quòd calidũ ſentitur corpus, ſed præcipuè dum arteriæ corpus cæteris partibus eſt calidius, vti in hecticis, in quibus idcircò ceu in profundo percipitur calor acrior & mordacior, ſed Archigenis ſententia in catochis id accidere traditur; quod cur dicatur, neminẽ arbitror redditurum rationem. Plenus pulſus, veluti plenam & infarctam oſtendit arteriam; vacuus verò inanem: ille multos humores; hic nullos, aut quàm pauciſſimos; ille largiores cibos, potum, otium, hic inediã, inopiam & vacuatorios affectus oſtendit. Rythmus in pulſibus, proportionem dicit diaſtoles ad ſyſtolen, & ſi quietem coniunxeris alterutri motui, idem fit;

qui

qui enim motum quieti comparat, tam ineptè Hercule facit, quàm is qui vocem altiſſimam, acutam ſcilicet, ſpacio quod inter voces intereſt, contulerit. Omnis pulſus habet rythmũ; cæterùm enrythmos vocatur, qui proprium ſeruat & debitũ pulſandi modum ſuæ temperaturæ, ætati, &c. optimus quidem in temperato corpore, ætate temperata, regione, & tempore; in reliquis quibuſq; pro ſua cuiuſque ætate & temperatura. Qui ergo temperato corpori vſu venit in ætate epheborum, par habet diaſtoles & ſyſtoles tempus, in maiori ætate vincit diaſtoles celeritas, quanto vincit magis calor fumorum expurgandorum neceſſitatem, in ſenibus tantundem, tametſi minor multò ſit exceſſus. A Rythmo hoc, quẽ diximus eſſe cuique ætati conuenientem, ſi exciderit pulſus, tres differẽtiæ generãtur, de quibus diximus. Pulſus diuerſus omnis fit à vitio inſtrumenti, quod eſt aut obſtructio, aut preſſio, aut tenſio ſeu durities: atque hoc eſt eſſe aggrauatam facultatem, aut imbecillam per aggrauationem. Cùm enim bifariam fiat languida facultas, per ſe, & per aggrauationem, hanc facit proculdubiò inſtrumenti vitium; illam verò facultatis penuria, ſeu diſtemperantia temperamenti, in quo fulcitur. Cognoſcimus per ſe languidam, paruitate pulſationum perpetua, & perpetuitate languidarũ pulſationum, quibus iunguntur decurtati, deficientes ſimpliciter, reciproci, & abolìti: per aggrauationem verò debilem facultatem, diuerſitate, quæ magnos & paruos, vehemẽtes & languidos commiſcet, eritq; grauatior quò plures fuerint parui; minus grauata, quò pauciores fuerint; plures verò magni. Quòd autem ſolum vitium inſtrumenti pariat diuerſitatem pulſus, dempta ea quæ imbecillas vires per ſe comitatur, probauimus ad amuſſim in commentarijs à nobis editis de pulſibus, ſed breuiter nunc roboratur. Si qua etenim cauſa dempta virtute & inſtrumenti vitio, diuerſum pulſum crearet, calor eſſet maximè & vſus mutatus; is autem niſi longum interſit ſpacium, haud vnquã faciet diuerſum; nam qui principio tertianæ diuerſus efficitur ab eo qui in ſtatu, non reddit fallacem diſciplinam, quæ 2. Acutor. 47.

monſtrata eſt,quoniam quæ tanto tempore notatur diuerſitas, pulſus non magis conſtituit differentiam, quàm ea quæ annuo ſpatio. Sed inter has diuerſitates pulſus, quas grauata facultate fieri diximus,illæ reputantur deteriores,quę in vnico pulſu contingunt; quòd peius ſit in vnico motu deficere quàm in pluribus. De reliquis nominatis differentijs,non eſt opus dicamus quidquam, quarum cauſæ ex dictis patebunt, aut legas noſtros commentarios.

CAP. XIIII.

De tribus excrementorum generibus, ſputo, deiectione & vrina.

DE tribus excrementorum generibus, ſputo, deiectione, vrina, vnicum ſcribemus caput, quod quidem breuiſſimè rerum capita contineat, & nihil penè prætermiſiſſe videatur eorum, quæ ſunt neceſſaria: quod iam præſtabimus ſedulò, ſi cuiuſque horum finxeris tibi normã ſecundùm naturam: Deiectionem optimam ſcilicet, ſubrufam, coniunctam, ſolito tempore excretam,& pro quantitate ciborum ingeſtorum: Sputum,leue & æquabile, citò prompteq; pulſum: Vrinam optimam ſubrufam ſeu mediocriter pallidam,ſubſtantia mediocrem, habẽtem album leue & æquabile ſedimentum. Nulla ſiquidem patet nobis via ad cognitionem rerum præternaturalium,niſi quæ conferre nouit res eas cum naturalibus; quæ quatenus ab ijs quæ ſecundùm naturam recedunt, eatenus magis præter naturam cenſentur. Dum igitur excrementorum dictorum aliquod minus tingitur colore verſus album vergẽs, frigidas cauſas arguit, aut pituitoſos humores; cùm verò ad flauius viridiusq;, bilioſas cauſas: quòd ſi ad rubrum inclinauerit,ſanguinem, ſicut quod ad nigrum colorem, aut vſtam bilem,aut refrigeratam ſanguinis fecem oſtendit. Diſtinguetur id,ex præcedentibus coloribus, temperamento, ætate & alijs: quippe vbi præceſſit flauus aut viridis, vſtione fuiſſe cõparatum colorem nigrum ſignificat; ſi liuidus,refrigeratione; quoniam

De officina medici in principio.

6.Epid.parte 5. com.14.

quoniam ipſe liuidus color extinctionem caloris natiui, aut permixtionem atræ bilis ſignificat. Subſtãtia tenuior & craſſa cruditatem dicunt; tenuior, maiorem; craſſior, minorem; nimirum quæ tenuiores ſunt, aſſimilantur muſto nondum ferueſcenti; craſſiores verò, eidem iam turbato & ad coctionem feſtinanti. Sedimenta quæ non ſunt alba, leuia & æqualia, quæq; induta prauitate non ſunt, cruditatem oſtendunt, principiumq; morborum conſtituunt: quæ verò præter id, prauitatem ſunt nacta, mortem, & morborum mortaliũ augmentum & vigorem deſignant: illa verò quæ ſunt alba, leuia & æqualia perſeueranter, ſalutem pandunt, & tempora ſalubrium morborum à ſe inuicem diducunt, de quibus omnibus abundè fecimus libro De vrinis à nobis edito. Primo de crifi, cap. 12.

CAP. XV.

De febribus diarijs.

TRia febrium genera eſſe diximus in vniuerſum, quę ex materia in qua hæſit firmiter calor præter naturam, nomen ſuſcipiunt, ſi in ſpiritibus quidem diariæ, ſi in humoribus putridæ, ſi verò in ipſa cordis ſubſtantia hecticæ; ſemper tamen calor (diſpoſitio ſaltem) eſſe debet in ipſa cordis ſolida ſubſtantia, vt febris dicatur. Falſam quippe illorum puto ſententiam, qui calorem ſpiritibus aut humoribus hærentem arbitrati ſunt eſſe febrem; tum quoniam paſſio exiſtit viuentis corporis, tum maximè quia humores calfacti aut ſpiritus, cordis corpus neceſſariò calfaciunt; ac perinde ſuperfluum eſſe puto duas febres deſignaſſe ſimul, alteram, quæ in cordis corpore; alteram quæ in ipſis ſpiritibus aut humoribus ineſſet. Nomine ſolidarum particularum ſubaudias partes omnes corporis ab humoribus & ſpiritibus ſeparatas. Diaria itaque dicitur, quòd vnicam nata ſit durare diem ſuapte natura, niſi quippiam erratũ ſit: quod quidem præſertim de exactiſſima eſt interpretandum. plures nempè ſunt diariarum particulares differẽtiæ; nam quædam Primo de dif. feb. cap. 7.

ſunt

ſunt exactiſſimæ, cuiuſmodi ſunt quarum cauſa faciens abiuit, nihilq; reliquit in corpore, quod cauſæ rationem obiens, diariam foueat, cuius generis ſunt, quæ omnino à cauſis externis proficiſcuntur, vt ſunt quæ ab ira, exercitio, ſolis ardore & ſimilibus fiunt. Aliud genus eſt diariarum minus exactum, cuiuſmodi ſunt eæ, quæ à cauſis externis imprimentibus in corpore affectum aliquem, febris auctorē enatæ ſunt, ille tamen abſque magno molimine auferri poteſt: iſtiuſmodi ſunt quæ ob ſtipationem cutis generantur, ortam aut à balneis adſtringentibus, aut frigore externo, aut eo quod initium eſſe ſolet quotidianarum. Refrigeratis enim cutaneis partibus ob fugam ſanguinis & aliarum calidiorum ſubſtantiarum intrò factam, accidit vt pori cutis occludãtur & fiant arctiores. Tertium genus proximum huic eſſe videtur, eò quòd cauſam facientem intra corpus retineat, & fouentem febrim ipſam; differt tamen ab illo, propterea quòd penitior ſit obſtructio, & in ipſis vaſis fiat, quam in præcedenti genere in ſolis perſiſtere cutis poris exiſtimauimus. Hoc genus commune eſſe dixit Galenus quantũ in ipſo eſt, eorum quæ plures dies infeſtant & diariæ; cæterùm ob cauſę paruitatem efficitur vnius diei, ſicut ob magnitudinem plurium dierum, quanquam vel ſic acceſſio vnica ſit ab initio ad exitum, niſi illam exceperit putrida. Cognoſcemus adhuc intra genus diariarum contineri, etiam ſi ad ſecundum diem protrahatur, ex eo quòd nec in pulſu, nec in lotio putredinis ſubeſt veſtigium; itidem audias ſi ad tertium permanſerit diem vt Auicen. notauit. Quòd ſi Galenus 8. Meth. ad finem diariam conuenire cum hectica ſignificauit, quòd non amplius fiat, οὐκ ἔτι γιγνομένην, id audias cum Galeno ipſo propè medium 9. Method. de veris diarijs in quibus nullus eſt affectus, qui eas aut gignat aut augeat; ac perinde concluſit nullam indicationem ſumendam eſſe à cauſa: quod neutiquam de minus proprijs ac veris diarijs extat intelligendum. & ſi longius progrediaris coarguendi ſtudio, ſpiritusq; calfactũ eſſe tuearis cauſam caloris diſpoſitionis in corde exiſtentis, conſequẽterq;

10. Method.

10. Method.

terq; fieri vt nulla diaria ſubſit ſine cauſa, ſicut non ſine ſpiritus calfacto eſſe. Reſpondetur, ſpiritum ſimul cum diaria gigni, durareq; tantum, quantum ipſa diaria durat, eodemq; curationis ſcopo & remediorum genere tolli commodè; proindeq; nullam multiplicari indicationem præter eam, quę ab affectu, ſicut nec in hectica.

CAP. XVI.

De ſignis diariarum.

OMnium febrium ſigna principaliſſima ſunt pulſus & vrina, idcirco in omni genere febrium repetenda erunt: in primisq; diariarum pulſus diaſtolen habet maiorem, celeriorem, & ſyſtolen nullo modo concitatiorem. Cùm enim calor increuerit intenſione ſola, diaſtoles functione eſt opus; minime verò ſyſtole, quæ ad expurgationem fumorum eſt inſtituta. Ob eandem cauſam nulla notatur inæqualitas, quantum eſt ex ipſa diaria, quia nullum eſt vitium inſtrumenti, à quo prouenire ipſam neceſſariò ſuperius diximus; & ſi aliqua ſubſit, illa eſt perexigua, in illis præcipuè diarijs, quæ cauſam internam, ſtipationem aut obſtructionem obtinent. Habet præterea pulſus hoc peculiare, quòd poſt ſedatam febrim omnino in priſtinam ſanamq; diſpoſitionem reuertitur: quod neutiquam in humoralibus inuenies. Diximus non temerè, quantum eſt in ipſa diaria: ratione quippe alia fieri poteſt vt inæqualis ſit pulſus, languidus, paruusq;: prius quidem grauato ventriculo paſſim contingit, poſterius verò cùm languidum alias inuaſerit diaria. Secundum ſignum, vrinæ primæ coctio manifeſta, vti Trallianus eſt interpretatus: cùm enim omne abſit humorũ vitium, à quo inquinari poſſit ſerum vrinaceum, meritò prima quæ mingitur cocta videbitur. Primam diximus vrinam, non in prima die, quod quidem longè diuerſum exiſtit: accidit namque vel in ipſis humoralibus febribus in prima die comparere coctam vrinam, ſecundam ſcilicet aut tertiam,

3. de præſagiis cap. 7.

Lib. 12.

3. Prog. in princip. cuiuſmodi ſunt, quæ in primo quaternione terminantur. Tertium ſignum, æqualitas pulſus & caloris per omnia tempora febris, nõ ſicut in humoralibus, in quibus principio, ſaltem intermittentium conſtrictus pulſus, hoc eſt, paruus & inæqualis, frigidum corpus; in augmento verò & ſtatu calor magnus & pulſus magnus & æquabilior. Quartum, à cauſis externis oriuntur, atque hoc proprium ſignum non eſt, ſed inſeparabile. Proprium quidem non eſt, quòd hecticis & humoralibus id ipſum contingat: eſt inſeparabile ſaltẽ exactiſſimis diarijs, quas diximus ſolas totas pendere à cauſis externis: nam quæ minus exactæ ſunt, aut à ſtipatione, aut obſtructione fiunt internis. Quintum, calor ſuauis, proprium eſt & inſeparabile indicium: nam conſimilis eſt calori qualem in balneis experimur. Sextum, tolerantia ægrotantis in ſtatu, & purum interuallum febris, quæ penitus relinquit eum liberũ poſt declinationem; quod minimè vſu venire videmus in humoralibus, in quibus aliquod morbi ſymptoma perſeuerat & queſtus. Septimum, ſudore & veluti rore, ſpacio viginti quatuor horarum finitur; quod quidem ſcrupum inijciet his qui rectè capiunt has febres non pendere ex humore, quare neque ſudore finiendas. Reſpõdetur ab aliquibus, id ea cauſa fieri, quòd ſpiritus in aqueam verſi naturam, ſudori materiã præſtant. Quos Stephanus Athenienſis reprobauit, ob id quòd ſpiritus non ſint vapores, quibus ingenitum eſt poſſe in aquam verti: & eſto, in eam naturam conuerti nati ſint, non facerent ſudorem, propterea quòd qui imperuij meatus ſunt ſpiritibus, multo æquius aqueæ illi naturæ craſſiori multo, obſtabunt. Senſit itaque ea cauſa fieri ſudorem in febre diaria, quòd poſt calfactionem pulſi ſpiritus excremẽta, quæ propè cutim inueniunt, pellunt attenuata prius.

§

Lib. 1. ad Glauco.

De ſignis diariæ ex obſtructione.

SI nulla prægreſſa eſt cauſa externa, & declinatio protrahitur vltra viginti quatuor horas, neque finitur cum humiditate illa rorida, ſignũ eſt ab obſtructione prouenire, ſi neq; in vri-

in vrina aut pulſu putredinis videatur indicium. Atteſtantur his, ſigna repleti corporis, aut cacochymiæ. Eiſdem fermè ſignis cognoſces tranſire diariam in putridam, interuallo ſcilicet non puro, ſtatu toleratu difficili, & quod non deſinat ſudore.

CAP. XVII.

De curatione diariarum.

SI febres huiuſmodi cauſas habuerint, quæ videntur corpus exinaniſſe, vti laſſitudines, curas, ſtudia, vigilias, famem & ſimiles, ducendos eſſe inclinante febre ad balneas iubent aquæ temperatæ calidæ, ſed prius tranſire quàm celerrimè per aërem calidum, in quo ſi ſudauerint, detergẽdus eſt ſudor, ac deinde facta inunctione cum oleo & molli frictione, ducunt in balneum, intendentes refrigerationem & humectationem in omnibus. In primis itaque ſpectata declinatione ducatur per aërem calidũ, in quo æger nudetur, & inibi pauciſſimam moram faciat: nam cùm refrigerationem & humectationem intendamus, neque in aëre calido eſt immorandum, neque frictione multa aut dura vtendum, ſed molli: inſuper frictio & inunctio non fiat in aëre calido, quoniam ſudor manans vnctionem pellet. Fiet igitur inunctio poſt egreſſum ab aëre calido, deterſo ſudore cum oleis tepidis minimè diſcutientibus, ſed ſint tenuium partium, vt vetus, aut chamæmalinum (quoniam adſtringens vitant, ne poros obturet.) Ad hæc peragenda hydreleon laudat magis Trallianus, quòd amplius refrigeret & humectet. Lauentur deinde ex conſuetudine. Sed qui à ſiccãtibus cauſis febrierunt, ſicut à ſole vrente, aut frictione multa duráve, ſicca, & cum nitro facta, & in puluere, lauandi ſunt vberius humectandi gratia: ſed vide ne plethoricum ſit corpus, aut cacochymum; ſiquidem ijs neque balneum, neque oleum, neque frictiones conducent, non vacuato prius corpore. Ego vero, qui probè noui noſtris temporibus parum in vſu eſſe

Ordo curationis.

de balneo

balneas, non poſſum conſulere harum vſum niſi conſuetis: frictione igitur vtendum eſt molli cum præfatis oleis, & ſicubi ſudorem expoſcere res videtur, ſimiliter & refrigerationem & humectationem, id probè facies cum decocto hordei, aut bugloſſi, aut vocatæ nunc chondrillæ calido heminæ pondo epoto, plus minúsve. Cibabũtur poſtea frigidis & humidis ablata diaria, cuiuſmodi ſunt lactucæ coctæ, cichorium, melones, pruna, piſces laudati: & ſi quibuſdam iſta diſplicuerint, pulli gallinarum cum lactucis, cucurbitulísve decoctis poterunt commodè exhiberi, hœdi carnes, & reliquæ quibus nec craſſities aut lentor ineſt: quæ omnia quibus ſignis noſcantur, Galenus lib. de Alimentis ſcribit, quem ſi pigeat audire; ſcito, quæ moderatè ſunt mollia, non viſcoſa, boni odoris, & pabulis fungentia inculpatis, inprimis laudari, quòd hæc boni ſint ſucci & coctu facilia; cuiuſmodi auctores perpetuò commendauerunt eſſe imperanda in omnibus morbis, paucis demptis. Bibant aquam decoctam ex herbis aut plantis, quæ magis minúsve calfaciant, proque cauſæ magnitudine & diuerſitate conducentes; cuiuſmodi ſunt decoctiones, quæ ex hordeo, fœniculo, aut cinnamomo & hordeo fiunt. Vinum porrexit Galenus omnibus diaria laborantibus id ipſum bibere aſſuetis, in alijs etenim non eſt mutanda conſuetudo, præſertim cum ijs quæ nocent febri, cuiuſmodi vinum eſt: quoniam ſi in acutis illud permiſit Hippocrates, quantò amplius in diarijs febribus illud concedet? Sit tamen ſuaptè natura aquoſum (δευτερίαν (vt reor) appellat Dioſcorides, Hiſpanicè *ſegundos vinos*) & tenue, quale ægris vbi vini noxas pertimeſcimus, & à longa valetudine ſe recolligentibus, libenter donat. Quòd ſi eius copia non ſit, huius loco album & tenue multa aquæ permixtione, ſexcuplo circiter aut eo amplius parare oportet. Haud temerè diximus, non eſſe mutandam conſuetudinem, & æqua ratione diſtemperatam naturam, cum his præſertim quæ febri nocent: Si enim quæ adhibemus febri aduerſantur & diſtemperantiæ corporis, nihil curo an

2. & 3. Acutor.

ſolùm

ſolùm febrim tollant, an ſimul cum ea diſtemperantiam minuant, aut prorſus auferant, quidquid Galenus inſinuauerit de non mutanda diſtemperie in morbis. Sed de hac re in expoſitione Methodorum curatricum fecimus ſatis. A vino ſunt arcendi, qui inflammationibus referunt acceptam diariam, & patientes dolorem capitis, aut temporum pulſum ſecundùm Galenum: tametſi omnes diaria laborantes meritò priuandi ſint vino, niſi quid aliud contrarium popoſcerit, vt virium debilitas. Tentandum eſt demum contrarium afferre ei quod moleſtat, vigiliæ, ſomnum; labori quietem; iræ, furori, triſtitiæ, quæ lætitiam pariant, hilarem & tranquillum reddant animum, vt ſermones, actiones, ſpectacula: vſtione incenſis, quæ refrigerent; refrigeratis, quæ modicè calfaciant.

Trallianus vinum vetat in diariis.

CAP. XVIII.

De diarijs ex obſtructione.

HIs rurſus, qui ex obſtructione diaria laborant, ſi plenitudinis notas adeſſe ſenſerimus, ſanguinem mittemus copioſe, imò in mediocri habitu exiſtẽte corpore, id quoque efficere curabimus: propterea quòd maiori parte ſuccorum emiſſa, liberiùs poterimus detergere viſcoſos, craſſosq; inſcindere; antea verò ſi id feceris, magis augebis obſtructiones, impulſa nimirum humorum copia in locos arctiſſimos. Sed de vſu medicamentorum aperientium libello de ratione permiſcendi medicamenta, quid eſſet ſeruandum monuimus. Poſtea verò vacuato corpore licebit viſcoſos, craſſosq; humores corrigere, conſequenterque obſtructionem auferre, cum his quidem quæ adaperiant atq; attenuent citra calfactionem. Huius claſſis eſt oxymeli, ptiſana, aqua mellis, & his aptior ſyrupus acidus cum ſaccharo, cuius Galenus mentionem non fecit: apomeli laudatur quoque apud Galenum, quod eſt decoctum fauorum expreſſo prius melle 2. de fracturis, cuius vſum vituperamus cũ Dioſcoride,

ſcoride,ne ob ceraginem quam adquirit ex fauis, potius obſtruat quàm aperiat. Potes commodè vti ſyrupo acido ex duabus radicibus,cum aceto & ſine aceto,capilli Veneris,intybi,cichorij, lupulorũ, oxyſaccharo & ſimilibus : & ſi ob febris intenſionem horum dulcorem temperare magis volueris, ſingulorum vnciam cum ſex aut amplius aquæ permiſceas;cum paucioribus verò,ſi poſt habita febre,cauſarum vitio obſiſtere ſit animus.Poterimus interim quoque frictionibus mollibus & oleis aperientibus ſine tractu humorũ commodè vti, cuiuſmodi eſſe prædicatur chamæmalinũ oleum, vetus Bæticũ,& ſi quod aliud reperiatur huiuſmodi : quin & ſi nimia quantitate cacochymiam redundantem coniectaueris, eamq; attenuantibus ſolis haud poſſe abigi, (ſicut Galenus & Trallianus imperauerunt) ego non dubitarem leui aliquo pharmaco eam extrudere, ſcilicet caſſiæ fiſtulæ vncijs duabus aut tribus,mannæ totidem , aut mercurialium duobus faſciculis in iure pulli decoctis: aut ſi iſta in procinctu nõ fuerint,pharmaco alio roſaceo,aut diafenicone pondo minimo exhibitis, aut ſyrupo roſarum nouem infuſionum vncijs quatuor, aut melle roſaceo ex roſis perſicis . Quòd ſi tranſacto primi paroxyſmi tempore febris deficiat, aut ſi paroxyſmos habens ſecundum primo minorem reuerti conſpexeris, præſertim ſi in vrina & pulſu nullum videatur putredinis indicium,pergas oportet cum prædicto regimine,balneis vſus, frictionibus , ſimiliter & præſcriptis cibis . At verò ſi ſuſpicio ſit reuerſionis, & ſequens paroxyſmus aut æqualis ſit aut vehementior priori,pulſu & vrina notas gerentibus putredinis, tranſitum in putridam ſuſpicatus , accingere iuxta leges de curatione putridarum ſcribendas ſuo loco. Accidit aliquando diaria ex bubone, vbicunque ille oriatur ex vlcere aut percuſſione ; cui medendum eſt ijs medicamentis quæ dolorem ſedant & pus commouent vlceri appoſitis,baſilicone videlicet ſeu tetrapharmaco dicto,aut farina tritici ex hydræleo, aut emplaſtro vulgo maturanti dicto : poſtea verò quàm id effeceris, crus ſeu brachium à vulnere ad bubonem vſque

Apud Aëtiũ cap. de chamæmalo.

Leuiter expurgãtia medicamenta.

Aëtius ca.69. Curatio Diariæ ex bubone.

vſque fouebis oleis moderatè calidis,& lana ipſa eiſdem oleis intincta buboni admota. Et quia hæc febris poteſt etiam monitore Aëtio citra externam cauſam prouenire, in ijs potiſſimum in quibus plenitudinis notas cernimus, ruborem ſcilicet faciei, tumorem, calorem plurimum, quàm celerrimè ſecanda vena eſt, ex vena lateris buboni reſpondentis ſeruata diſtantia debita, idq; ſemel aut bis vbi opus fuerit. Deinde docuit Aëtius ante venæ ſectionem reprimere aſtringentibus & repellentibus medicamentis, idq; quando ſine cauſa externa inflammatio prouenerit: nam quando à percuſſione aliqua ſeu vlcuſculo exterius illato promanarit, id præcipit eſſe agendum quod vulgus indoctum facit, quodq; in initio huius curationis faciendum eſſe diximus. In eâdem ſententia perſiſtit Aëtius ſerm. 2. 4^ti. quaternionis, cap. 30. quem fortaſſe ſequutus Auicenna ſuo loco, emplaſtra refrigerata cum niue admouit, non ſolùm in apoſtemate ab ipſo vocato, ſed & in ea regione, quæ eſt inter ipſum & cor. Cæterùm Galenus 13. Meth. apertiſſimè calidis & humidis vtitur in ipſo vlcere & phlegmone, ac proinde lanam dulci oleo tinctam, aut tetrapharmacum, aut Macedonicum, aut in linteolo cataplaſma ex farina ordei, aut tritici cum hydræleo ſubacta, imponere iubet: totum verò brachiũ aut crus circundat lana ex oleo calenti. Hęc quidem facit ſi corpus planè ſanum præfuit; nam ſi plethoricum aut cacochymum ſit, vacuat cõueniẽti remedio, ſanguinis miſſione ſcilicet, aut purgatione: factoq; deinde paulatino tranſitu à laxãtibus & mitigatorijs, ad digerentia confugit, farinam ſcilicet. hordeaceam cum melle, niſi velis prius ſuppurantia illa, quibus in principio vſi ſumus, cum melle mixta experiri. Libro etiam 14. Meth. in huiuſmodi omnibus affectionibus, de tumoribus antea locutus iuſſit, aut vt regeramus humorem qui in membrum procubuit, aut digeramus; in ipſo quidem principio ante purgationem & in ipſo tempore retropellamus; vbi verò exquiſitè vacuauerimus diſcutiamus: vbi tamẽ mediocris tantùm purgatio præceſſit, mixtum ſit medicamentum ex repellenti & diſcu-

& diſcutienti. Libro præterea de facilè parabilibus & 3. de compoſitione ſecundùm locos de parotidibus agens, diſtinxit ſitne parotis alterius morbi ſoboles, an cum plenitudine aut ſuſpecta venefica qualitate ſucceſſerit: in ijs etenim arcet repellentium vſum, in cæteris non vetat. Quamobrem perperam admodum Aëtius de bubonibus loquens ante vacuationem totius corporis repellendos eſſe humores tradidit, quos plenum corpus non facilè recipit, cùm id ſit faciendum
3. Techn. poſt vacuationem & ablatam multitudinem: quòd ſi depoſita fuerit multitudo, & alterius morbi non ſit ſoboles, nec ſuſpicio malignantium humorum & peſtilentium, ſolo oxycrato lana imbuta auſus eſt Galenus huiuſmodi bubones aliquando perſanare, aliquando etiam ſolo oleo calenti: vtraq; enim ratione pauca materia poterit extirpari, & vtrunque remediorum genus præceptum eſſe apud Galenum inuenies. Nempè de parotidibus agens, quæ demptis illis tribus cauſis de quibus nunc diximus contingunt, oxycratum libēter apponit, vt quod paucam (vt dixi) materiam retro pellat facilè, ac diſpergat, diſperſam verò natura promptiſſimè, aut excipiat ſine vlla nōxa, aut diſſipet. 13. verò de morbis curandis glandulis phlegmone tentari cœptis, ſæpius oleum calens ſat fuiſſe auctor eſt ad diſſipationem illius exigui humoris, tutior ſiquidem eſt vſus laxantium medicamentorum adenibus inflammatis. Malè proinde Auicenna, 3ª. 4ⁱ. cap. de altooin ſiue de peſtilentibus glandularum tumoribus, oxycratum & refrigerantia alia emplaſtra iuſſit admouere, cùm ipſemet 4ª. 1ⁱ. cap. de apoſtematum curatione, ex profeſſo vetuerit illorum medicamentorum vſum in tumoribus adenum ſeu partium laxarum: præſtabilius multo eſſe arbitratus, humores medicamentis calidis in partes ignobiles trahere, quàm vlla ratione intrò, hoc eſt, verſus partes principes eos amandare. Sed de his ſatis. Sedata febre edet cibos coctu faciles, boni ſucci, & parcius, bibet aquam, & cætera fient, quæ ad balneas pertinent, intuentibus nobis perpetuò, ne repetat febris.

CAP.

CAP. XIX.

De diaria ex cruditate ventriculi.

CRuditatis nomine, ἀπεψίαν Græcè, tam intelligimus eam, quæ à causa calida fit, nidoroso; ructu explicatur, quàm eam, quæ à causa frigida, & ructu acido significatur. Nam quanquam Galeno auctore, ab acida cruditate diaria febris nunquam accidat, eaq; ratione de cruditate cum ructu acido frustra egisse videremur, Tralliano tamen hac in parte nimium credentes, atque ab vtraque cruditate nasci diariam sustinentes, acidam à causa calida prouenire posse necessariò defendemus; tum quòd Trallianus suo experimento illud esse verissimum comprobauerit, tum præterea quòd laborantes sæpius nos decipiant alterum pro altero causantes, præsertim cùm cruditas ista acida natiui caloris imbecillitate produci dicatur ipsi Galeno, quæ nimio calore potest comparari; cui Hercule nunquã satis & pro voto medeberis, nisi distemperiem calidam tantæ imbecillitatis auctorem, frigidis medicamentis correxeris.

De signis cruditatis.

COgnoscemus eam prouenire à causis calidis ex nidoroso ructu, nisi à causa manifesta ille accidat, vt si frixa oua, aut melleum quid, aut subamarum, aut amaro oleo conditum præmanserit: perpende etiam ægri temperaturam calidam, victum prægressum calidum, ætatem iuuenilem, & an assueuerit bilem vomere, an siticulosus homo sit, & os amaricet: hæc etenim si adfuerint, aut omnia, aut plura, causam calidã esse iudicabis. Vide semper ne te decipiat ægrotantium responsio, quia nunquam satis explicat vter nam sit ructus. Si verò acidus sit ructus, nõ solùm hoc ad exactam causæ cognitionem attendere oportet, sed & anteactam victus rationem frigidi, linguæ colorem album, gustus saporem insipidum, potus inappetentiam, pituitæ vomitum, temperamentũ pituitosum: hæc omnia, aut ex eis plurima causam frigidam

ſubindicant, niſi huiuſmodi ſymptomata cauſa externa aliqua acciderint, cuiuſmodi eſt agreſtæ ſuccus, aut aliquis alius cibus qui promptè in acorem conuertatur. Quæ ſigna ſi abfuerint omnia, ac ſolùm permanſerint quę cauſas calidas præ ſe ferunt, ructum acidum à cauſa calida fuiſſe ſequutũ conijciemus : qua ſola ratione ipſum poſſe facere febrem diariam cenſuimus.

CAP. XX.

De curatione.

Ordo curationis.

IAm liquet qua nam ratione curari debeant præfatę affectiones, quæ ventriculi cruditati referuntur acceptæ : Si enim conſtiterit cauſam eſſe calidam, refrigerãtibus auxilijs vtendum eſt: verùm hoc ordine procedes. In primis exhibe aquæ calidę heminam, ſi in ventriculo permanere cibus adhuc videatur, quod ex ructu, ex pondere cognoſces; procuranduſq; eſt aut vomitus hydræleo, aqua calida & ſimilibus, aut vt per inferna deſcendat, quod eiſdem medicamentis efficietur : quibus ſi non paruerit id quod in ventre continetur, deturbandum eſt deorſum expurganti aliquo medicamento, cuius virtus iecur non tranſcendat, cuiuſmodi erit manna, caſia fiſtula, quibus potior eſſe videtur hiera ſimplex Galeni, aut pillulæ Razes, aut mel roſaceum ex ſuco mercurialium, aut è roſis perſicis, aut ex pluribus infuſionibus violarum, aut roſarum. Si verò paulo inferius deſcendiſſe vitioſos illos humores ab ipſo ventriculo perceperis, ex morſu aut grauitate, vnge hypochondria & ventrem oleo ex chamæmalo, ex abſynthio, nardino, maſticino, ex mentha: & ne facilè defluant & hac ratione minus proſint, apponantur in filtro, aut ſago, aut lana expreſſa prius, aut concinnetur vnguentum ex cæræ & olei æquis partibus, cui addes maſticis aut aloẽs, aut mẽthæ, aut ſimiliũ octauam partẽ. Adiecit Galenus: ſi in ventriculo ardorem perſenſeris, ſit oleũ frigidum & aſtringẽs, cuiuſmodi eſt melinum & ex eo ceratum, oleum

1. de locorum paſsionibus. Auicenna ſuo loco.

ænanthi-

ænanthinum cum hypociſtide, aut balauſtijs, aut palmularũ carne, quæ ventriculo firmando, refrigerandoq; ſunt idonea: neque hîc ſiſtit curationem, ſed ſi aluus ſit ſuppreſſa, largitur driatrionpipereonem ſimpliciorem, de quo 4. de Sanit. tuẽda. Vngit calidis medicamentis & fouet, donec deſcenderint quæ moleſtant, ac tunc vtitur glande, aut clyſteri communi ex hydræleo cum melle; aut ſi adeſt morſus, cum ſeuo gallinæ, aut anſeris aut capræ; ſi flatus adeſt, ex oleo rutæ, aut in quo marathrum, cuminum, ſimul incoquantur: ſicq; faciendum eſſe iubet, donec paſſio ceſſet, & in balneum æger deferri poſſit. Si verò aluus fluit quod ſatis eſt, cibat lauatq; declinante acceſſione, corroborato prius ventriculo prædictis oleis: ſi plus æquo, cibat aſtringentibus, ptiſana ſcilicet in decocto pyrorum, cytoniorũ, mica panis in aqua calida, teſticulis gallinaceorum, fructibus auſteris, piſcibus aſſis; & ſi labantur vires, non dubitat exhibere vinum tenue, etiam ſi fluxus adſit ventris, primo ad Glauc. quò promptè diſtribuatur per vniuerſum corpus, nunquamq́ue apud illum inuenies porrigi vinum craſſum, niſi in hæmorrhagijs, in quibus ſanguinem incraſſare conatur: in fluxibus verò ventris intrò per meſeraicas deriuare ſtudendum eſt, quod præſtant optimè vina tenuia. Interea non ceſſat aſtringentibus ſuis vnguentis ventrem inungere, melino (inquam) myrtino, emplaſtro ex carne cytoniorum, palmulis, hypociſtide, balauſtiis. Lauat 1. ad Glauc. cum Tralliano quò ad partes cutaneas humores diſtrahat; at 8. Method. cum Aëtio lauationem prohibet, fortaſſe quoniam defeſſam ex fluxu coniecit eſſe virtutem. Cæterùm Tralliani ſententia (quæ mihi ſemper eſt viſa potior hac in parte) dum ex ſignis præhabitis conſtat eſſe calidam affectionem, ſtultiſſimum eſſe puto ſi quis vtatur diatrionpipereone, aut medicamento ex ſucco cytoniorum cum pipere & gingibere, quod 6. de Sani. tuen. ad finem compoſuit Galenus: aut oleis calidis vngat hypochondria & ventrem, de quibus dictum eſt: & non potius vſurpet frigida omnia, tam quæ eduntur & bibũtur, quàm quæ foris

admouentur. Vnge igitur oleo cytoniorum, aut ſi fluxibilior ſit aluus, oleo myrtino, aut ſi placet oleo abſynthij inungere, aut maſticino, aut nardino, ferueat cum eis ſucci omphacij æqua portio, aut pampinorum, aut alterius refrigerantis ſucci. Da edendam minam cytoniorum ſine aromatis, aut omphacij ſuccum, aut ſuccum pampinorum cum acacia, ſi aluus fluat immoderatiùs; concede piſces duræ carnis, vt thynnum, carnes bubulas, pedes, ſuillas carnes, ſaltem agreſtes, & demum eas, quæ difficilè corrumpuntur; nam ptiſana & alica præſertim cum ſaccharo aut melle, & molles piſces in tam calido ventriculo quàm eſſe intelligimus, facillimè corrumperentur. Hoc in loco vinum porrigendum eſt, tantùm dum vires labuntur; aliter potus aquæ eſſet conuenientior, cùm adeò calida fingatur affectio. Et ſi quando clyſteri opus fuerit, miniſtrandus non eſt ex oleo ruthaceo, aut ſeminum illorum perquàm calidorum vt præcepit Galenus, ſed ex moderatioribus multò medicinis, quæque temperent potius quàm incendant; eiuſmodi erit clyſter ex hydræleo cum modico ſaccharo, aut melle roſaceo aut ex decocto betæ, mercurialium, furfurum cum oleo chamæmalino, aut violaceo, qui ſanè detergebit inteſtinorum vitioſos ſuccos citra vllam calfactionem. Si quando igitur oleis illis adeò calidis, diatrionpipereone, & reliquis medicamentis quibus Galenus vtebatur calidis, vtendum eſſe videtur, eo maximè tẽpore fiet, quo frigidá eſſe cauſam deprehenderimus: verùm tunc cùm febris non ſit ex ipſius Galeni ſententia; ad hunc locum non pertinet de ea pertractaſſe quidquam.

CAP. XXI.

De febribus putridis.

PVtridarum febrium genus, reliquas febres omnes amplectitur, demptis hecticarũ & diariarum duabus differentijs: an autem debeat in ſe ipſo febres illas, quæ ex aſſatione bilis aut aliorum humorum progignuntur includere, an non; aliorum eſto iudicium, qui cum

cum Auerroo non omnem febrem humoralem ex putredine nasci tuentur, sed plures alias ex vstione sola dari, à putredine longè diuersa. Ait ille, si calor extraneus fit propter calorem, membris superuenit vstio vel combustio, sed non putrefactio; propterea ergo non est necessarium, vt omnis febris sit putredinalis & maximè causon: quando verò calor naturalis debilitatur ob frigiditatem, tunc dominatur humiditas, & fatigat calor internus in dominando super ipsam, & fit putrefactio propter calorem extraneum superuenientem. Ego verò cum Galeno ipso nullum alium humorem à sanguine citra putredinem; σῆψιν Græci appellant, posse febrem accendere censeo: nam præterquàm quòd illud affirmauerit Galenus 2. De diff. febr. à primo capite ad quintum vsque, de bile insuper loquutus, hæc ait: Neque in his verò, neque in atræ bilis morbis necessariò febricitant, nisi prius atra bilis putrescat. Id idem de bile & pituita continenter effatus 2. De iudicijs, cap. 9. hæc scripsit: Nunc enim discere oportet in his qui de febribus habentur sermones, quòd tria sunt omnia, quæ ex humorum putredine febrium accenduntur genera. Quædam enim ex flaua bile (hæque plurimæ sunt) quædam verò ex atra, quædam ex pituita consistunt. Ibidem etiam adiecit: Non esse admiratione dignum si ex frigidis humoribus oriri febrem dixerimus, siquidem illud efficiant non secundùm naturam habentes, sed putrescentes; & quòd febris acuta, vel aliquo dictorum humorum putrescente, vel membro inflammationem patiente generatur. Hæc Galenus. Quid quòd nullam eiusmodi febrium inuenias facilè, è cuius subiecto corpore excrementa non exeant fœtentia? Ex quibus si quæ sunt quibus id non accidat, causones erunt, & biliosæ nimis febres; in quibus squallida lingua denigrataque visitur, sed & in ijs putrida excernuntur excrementa & maximè fœtida. Præterea, quæ vruntur maximo igne, id perpetiantur necesse est, subitò confertimque humidum deficcante: verùm humores qui in corpore à suis

3. collect. c. 4.

naturis demutantur, paulatim id patiuntur, quod eſt putredo. Septica porrò omnia, ſeu σηπτικὰ, hoc eſt, putredinem faciencia dicuntur, cùm nullo ſenſu doloris fit corruptio, tametſi propius ea dixerit putrefacere, quæ cum fœtore id faciunt; quæ verò cauſtica ſunt & vrunt, magno ſanè ſenſu doloris id faciunt, ac perindè in corpore humano nequibunt aptè generari. Eò maximè, cùm ſucci liquoresve corporis humidi ſint omnes, & à quacunque cauſa calfiant intra corpus, quæ non poterit non calfacere, ſenſim debilitato calore natiuo; quare humiditas redundans haud debitè gubernata, putorem inducet. Ego ſanè nullam inuenio inter aſſationem & putredinem differentiam, vt latiùs in cõmentarijs de Iudicationibus patefeci; niſi quòd vſtio affatim & confertim fiat, ac maximo perindè cum dolore, & ab agenti ſemper externo, putredo verò ab agẽte iã intus recepto. Qua de cauſa cùm nequeat accidere in humoribus qui corrumpuntur in corpore humano tam dolorifica, & ab externo ſemper illata tranſmutatio, non aſſabuntur vnquam, ita vt non putreſcant. Sentio ſimiliter ſanguinem haudquaquam poſſe facere febrem citra putredinem & corruptionem ſui. Nam ſi ad febris generationem calfactum eſſe requiritur (quemadmodum cuncti voluerunt) mox libenter rogabo, vbi nam calfactum illud hæreat; quod ſi in ſanguine adhæſerit, cur non putreſcere ipſum dices? ſiquidem ex ratione putredinis eſt, vt ſit corruptio natiui caloris à calido extraneo. Quòd ſi calfieri tantùm dixeris, minimè incaluiſſe, qua ratione reliqui caleſcentes humores citra putredinem non facient febres, quandiu caleſcunt, vt ſanguis? Si quando ergo febrem dicendus eſt facere, illa ſanè erit diaria, à ſpirituum calfacto eſſe manans, qui vtrum debeant dici putreſcentes nec ne, non curo: veriùs tamen puto eos tunc putreſcere, ſiquidem eſt mutatio totius putreſcentis ſubſtantiæ in peregrinam qualitatem: mutari autem totam ſubſtantiam ex eo conijcies, quòd calfactum eſſe illud nequeat eſſe firmum, niſi ſubſtantia ſpirituum à ſe ipſa dimoueatur.

5. de ſimpli. medi. cap. 14.

CAP.

CAP. XXII.

Signa putridarum.

PRimum putridarum ſignum eſt à cauſa externa non incipere, quod proprium eſt non inſeparabile; nimirum quędam ex occaſione fiunt quam προφασιν Græci vocant, cœna inquam larga, aut potione, ob apparatum quem in corpore offendit humorum, proprium verò exiſtit quòd illis ſolis hoc conueniat, hecticæ namque aut à cauſis prægreſſis incipiunt, aut non fiunt ipſæ primæ. Secundum ſignum à rigore, horrore, frigoréve inceptio, quando ab aliqua cauſa euidenti non fiunt. Eſt quidem proprium, quoniam nulla alia hoc habet à putrida, non tamen eſt inſeparabile, ſiquidem continua, ſi ſit exquiſita, ex his non incipiet. Tertium inæqualitas pulſus & caloris ſiue in principio ſiue in augmento contingat: proprium tamen non inſeparabile, quoniam non conuenit continentibus ſeu ſynochis. Quartum, pulſus compreſſio, hoc eſt, pulſus paruus & inæqualis; proprium item ſed non inſeparabile, vt patet in prægreſſis ſynochis. Quintum & maximum putridarum indicium, calor acris & mordax; proprium ſimul & inſeparabile indicium; nam tametſi hecticis quoque eadem caloris conditio conueniat, in profundo tamen illa magis notatur, in putridis verò in ipſa ſuperficie, ex Tralliani ſententia. Cauſa eſt, quoniam particula illa prius lota, & vaporibus (ſi qui ſunt) exhauſtis, percipitur in ſolidis profundiorem locum obtinentibus magis roborata febris hectica; hæc verò putredinalis, in ſuperficie magis, ob id quòd vaporum copia ex vitioſis humoribus inſurgens, cutem ipſam attingat. Quæ quidem differentia manifeſtiùs multò in augmento & ſtatu extat expectanda. Sextum proprium & inſeparabile, ſyſtole celerior diaſtole, ob maiorem expurgandorum fumorum neceſſitatem: nullaq; certior inuadentis putridæ febris nota cenſetur Galeno 3. de Præſag. ex pulſibus cap. 7. Septimum, proprium item & inſeparabile, cruditas, vel obſcura concoctio in primis vrinis.

1. de diff. feb. cap. 7.

1. ad Glau. ca. 5. & 2. de diff. feb. feb. cap. 8.

Octa-

Octauum, ſi appareat aliquod ſignum vel ſymptoma, cauſonis, lipyriæ, aut hepialæ propriũ tantùm erit. Nonum, ſi poſt declinationem non ſequatur quies cum ſudore, aut ſine eo, aut ſignum eſt permutationis ex diaria in putridam, aut ſtatim conſtituitur putrida. Deinceps vbi ſemel ſignis prægreſſis putridam eſſe cõſtituerimus, in quonam genere febrium putredinalium ſit collocãda (ad quas, omnes febres, demptis hecticis & diarijs, eſſe reducendas prædiximus) extat mox inquirendum. quod vt fiat ſplẽdidiſſimè exerceamur primùm in bilioſis. Hæ aut ſunt continuæ, aut intermittentes: continuæ quidem dicuntur, quòd non dimittant febricitantes, donec ex toto ſoluantur; intermittentes verò, quòd ſæpius ad infebricitationem perueniant, & repetant. Hoc diſcrimen adeſſe febribus tradit Aëtius ſuo loco, ob multitudinem, aut craſſitiem, aut viſcum: quæ ſi ſint intra vaſa, continuam faciunt; ſin minus, intermiſſam. Nam cùm illos humores nequeat facultas mittere foras & extra vaſa, ob cauſas nunc dictas, continuam faciunt: dum verò per vniuerſum corpus expulerit, atque adeò per ſentientes ipſas particulas, intermiſſam, & cum rigore, aut horrore, aut frigore. Vnde nõ poſſum equidem non admirari vehementer eos, qui intermiſſas febres ab humoribus fieri putauerunt extra vaſa ſolùm putreſcentibus: cùm Galenus reliquiq; ſcriptores, qui paulò accuratiùs de hac re tractauerunt, paſſim dixerint per totum corpus illos moueri, conſequenterq; per partes ſentientes ſecũdùm portionem, cuius cauſa rigor, aut frigus, aut horror efficitur. Quinetiam vrinæ quæ intermiſſis febribus ſpectari iubentur, ſicut morbi ſpeciem indicant; ſic quoq; & febris tempora: quod nullo ſanè modo fieri poſſet, ſi humores extra vaſa ſolùm putreſcerẽt: cùm vrina tantùm ſit nota humorũ qui ſunt in venis. Contenta etiã, quæ in vrinis apparẽt, Auicennæ & Galeni ſententia, humores ſunt putreſcentes iã cocti; quare in venis putreſcentes coquuntur, aut non exirent cum vrinis. Partim ergo intra vaſa, partim extra, putreſcant humores qui febres intermiſſas faciunt, neceſſarium eſt.

1. ad Glauc. cap. de quotidiana.
4. de Sanit. tuen.
1ª. 4ⁱ. cap. de cura putri. Et 1. de diff. feb. cap. 6.

CAP.

CAP. XXIII.

De curatione putridarum in generali.

COnfeſtim attendas oportet, febrem in ſuas cauſas eſſe reſoluendam, in proximas quidem primùm, deinde in remotiſſimas & medias, quò conſtet vnde nam auſpicãda ſit curatio,& quo ordine. Reſoluitur febris putrida in putredinem; putredo, in prohibitam tranſpirationem; hæc deinde in obſtructionem, quæ à craſſis,aut viſcidis, aut multis humoribus progignitur, qui deinceps cùm poſtremæ ſint cauſæ, ab illis inchoanda erit curatio, niſi aliquid ordinem, quem cauſæ poſtulant, peruertere coegerit. Febris deinceps paſſio calida eſt & ſicca, quæ à cauſis incendentibus oritur neceſſariò, quarum vna putredo exiſtit, imò hæc ſola putredinalium febrium eſt continens: nam motus, ingeſtio calidarum rerum, vicinia rei calidæ, obſtructio, quas caloris cauſas voluit eſſe Gal. aut nequeunt facere febrem putridam, aut intercedenti putrefactione id faciunt. Rurſum putredo à prohibita tranſpiratione neceſſariò ſequitur: aliter debitè perflatum corpus, non ſineret putredinis irrumpere labem. Si prohibetur tranſpiratio, obſtructio præiuit, aut re vera obſtructior factus canalis, aut cõparatione ſaltẽ ſubortorũ fumorum. Quæcunq; porrò ratione dicatur,ſemper eſt procuranda venarum apertio, quò reddatur liberior euaporatio. Id dixerim, quòd pleroſq; eius eſſe ſententię ſciam, vt putredinẽ ſine obſtructione cõrrahi poſſe contendant, ac perinde ſine craſſitudine, multitudine, aut viſco humorũ: quod probant de corporibus putredinẽ contagione nactis,& de ea putredine,quæ prauorũ ſeu corruptorum ciborũ eſu contingit. Quanquã mox rogarẽ aduerſariũ quid faciat contagio in humoribus, aut cur eos ad putredinẽ pelliciat: niſi enim eos malè tranſpirabiles efficiat,non video cur putreſcant; quod cùm fiat,obſtruent ea ratione qua reddũtur minus aptè tranſpirabiles. Ergo ſi, vt poſtulat cauſarum ordo, curatio perfici poteſt, multitudo tollenda eſt

primùm, deinde viſcus & craſſicies, quibus omnibus correctis obſtructio remouebitur, conſequenterq; putredo & febris. Atq; hæc eſt methodus, quæ à cauſa exorditur omnium prima. Altera eſt, quę à cauſa ſine qua non incipit, quæ potior & præcedenti magis eſt neceſſaria, vt ſi vlceri inflammatio iungatur, prius illa eſt amouenda, quàm vlcus curetur, quoniam aliter minimè curari poterit. Tertia methodus docet ad id quod magis ſolicitat conſilium medicorum primum conuertere, quæ ſanè cæteras adeò obumbrat, vt ob hanc ipſam vniuerſa artis medicæ præcepta euerti contingat. De qua re ſatis libro De ſanguinis miſſione, & de purgatione diſputauimus. Diximus itaque (prima methodo procedentes) debere cauſas primas omnium in primis euellere, deinde reliquas, niſi quid ordinem hunc mutare coegerit: quippe ſi ſecunda methodus, aut tertia ſeſe obtulerit, prima ſileat neceſſe eſt, exercendaq; primùm poſtrema, deinde ſecunda, quæ ſecundum neceſſitatis gradum obtinet. Quamobrem, quò perfectiùs teneas quæ dicentur, & nominum vſum intelligas, quibus paſſim vtendum eſt; ſcito indicationem eſſe compræhenſionem rei iuuantis vel nocentis, ex ipſa rei natura depræhenſam, citra vllum ſyllogiſmum aut experientiam. Hæc ſi de re dicatur cuius natura conſideratur, indicatio erit dicenda obiecta res ipſa, aut ſcopus: ſi verò de cognitione, qua illam percipimus, illa eſt quæ definita eſt, compræhenſio ſcilicet mentis. Hæc indicatio eſt duplex in vniuerſum: altera quæ à virtute ſumitur, quæ ciborum oblationem indicat: altera verò, quæ à morbo ſeu cauſa, & cauſæ vicem obtinente, quæ remediorum vſum expoſtulat, & vt vno verbo dicam, contrarij penitus admotionem. Hæ duæ indicationes ſibi inuicem repugnant & aduerſantur, tum quòd virtus poſtulat alimentum, morbus verò id renuit; tum quòd vires remedia reſpuere videntur, & ſatis ſit, ſi ſeipſas ſuſtinere poſſe (quod morbus expoſcit) declarauerint. Eodem modo, quæ idem prorſus præſidium admouendũ eſſe cum morbo innuunt, coindicantia dicuntur, Græcè συνενδυκνύμενα: vt pote ſi

Indicatio quid.

Indicatio duplex.

7. Aphor. 63.

Coindicãtia cum morbo.

pote ſi morbus ex ſanguine genitus phlebotomiam deſideret, ac proinde indicare vacuationem per ſanguinis miſſionem aſſeratur; quæ vnà cum illo idem remedium petunt, coindicantia rectè dicuntur, vt ætas iuuenilis, temperamentum calidum & humidum (quæ ſunt naturalia) vernum tempus, regio ſimilis, cibus & potus largus, & boni chymi, quieta trãquillaq; viuendi ratio, ſuppreſſæ vacuationes ſanguinis, quæ fieri antea ſolebant, ſomnus abundè ſufficiens, læta ac iocunda conſuetudo (quæ omnia non naturalia dicuntur) ſymptomata etiam præter naturam, rubor, tenſio, tumor, grauitas corporis, quæ omnia cùm ſanguinis redundantiam præ ſe ferant, idem cum morbo efflagitant auxilium. Eadem quoque ratione, quæ vnà cum viribus alimoniam poſtulant, coindicantia cum virtute dici debent. Verbi gratia, vires ſui cuſtodiam poſcunt, ætas puerilis, temperamentum calidius & ſiccius, vigiliæ, æſtas, iracundus animus, immodicę vacuationes, nimia exercitatio, defectum deſignant & alimenti inopiam. Ex quibus conſtat, ea quæ cum morbo vacuationem efflagitant, meritò dicenda fore virtuti repugnantia, & quæ cum virtute alimentum poſtulant, morbo correpugnantia, & quę ab eo ſumetur indicationi ἀντενδυνόμενα Græcis. Penſandũ eſt igitur quolibet auxiliorum tempore, quid febris ipſa indicet, & quid cauſa effectrix: febris enim refrigerari & humectari poſtulat, cauſa verò inciſionem, deterſionem, adapertionem occluſorum vaſorũ, demum vacuationem inutilis portionis ſuadet; quæ cùm contraria ſint, & diuerſa curatione propulſari debeant, videndum eſt perpetuò qua methodo illarum trium gradiendum ſit, & quãdo cauſam ſine qua non, quando auctorem morbi, & demum quo tempore prima ſit expugnanda diſpoſitio, quæ maximum inſtare periculũ admonet. Inter quæ (vt dixi) primas ſibi vendicat quod maximum eſt, ita vt illi ſoli aut ſaltem magis auxiliandum ſit; ab hoc cauſæ ſine qua non, habenda eſt ratio, vltimo loco cauſæ priuſquam effectui adhærendum. Magnitudo enim triplex exiſtit, in eſſentia, ratione principatus partis patientis, & actio-

Coindicantia cum virtute.

2. Aphor. 16.

3.4.7.& 11. Method. nis præſtantia, vt ex Galeni ſententia in libris Method. manifeſtum eſt. Hinc Auicenna auſpicatus intentionem medicationis febrium, quandoque ad partem febris verti ſenſit, quæ refrigerationem & humectationem cupit, quandoque verò ad partem materiæ, quam neceſſum eſt mutari & vacuari: & nonnunquam contraria ſunt quæ febris & cauſa requirunt, quoniam quæ maturant, magna ex parte calida ſunt & contraria refrigerationi febris; quæ verò refrigerant, maturationi nocent. Proinde caueas rem 10. Method. oportet timore magis plenam & vrgentiorem, ac de illa ſis magis ſolicitus. Febris enim aliquando tantæ eſt vehementiæ, vt non liceat vti regimine cauſæ, imò indigeat infrigidatione vltima, & propriè cùm non inuenis virtutem tolerantem.

Ergo ſi magnus ſit morbus, & vires conſenſerint, ſanguinem mittendum cenſuere Paulus, Oribaſ. & Aëtius. Quam ſententiam multis rationibus reprobaui perpetuò, quoniam nec morbus, nec eius magnitudo, remedij ſpeciem exigunt, ſed duntaxat petunt auxilium, ſpecies verò remedij ab affectus ſpecie indicetur ex Gal. lib. de optima ſecta ad Traſibulum, & 4. Acutorum, com. 107. vbi genus affectionis indicare genus auxilij ſcripſit. Quare Auicenna ſuo loco dixit: Quòd ſi fuerit virtus fortis, & fuerit illud quod vincit ſanguis, tunc phlebotomia eſt magis conueniens, & propriè cùm vrina fuerit rubra & craſſa. Trallianus verò de putridarum curatione hæc in hunc modum ſcripſit: τοὺς συνεχεῖς πυρέτους ἰᾶσθαι χρὴ μετὰ πολλῆς ἀκριβείας, καὶ ταχέως τε πράττειν, ὅπερ ἂν ἡ διάγνωσις ὑπαγορεύσει, ἥτε φλεβοτομίαν, ἥτε κάθαρσιν δήσει, μέγιστον γὰρ κακὸν ἡ ἀναβολὴ ἐν πᾶσι νοσήμασι. Hoc eſt: Continuas febres curare oportet multa cum diligentia, atque citò efficere quidquid indicatio præcipiet, ſiue phlebotomia, ſiue purgatio expedire videatur: maximum porrò malum exiſtit in omnibus morbis dilatio.

Species remedij vacuatorij, nõ eſt capienda à morbo ſeu eius magnitudine.

Quare non ſine rerum diſtinctione facienda eſt ſectio venæ, pro-

næ, propterea quòd morbus ſit magnus, & vires conſentire videantur : alioqui nunquam fiet expurgatio, quæ niſi morbi magnitudo & virium robur coierint, ac poſtulauerint, fieri non debet. Sed hac de re lib. de Sanguinis miſſione & purgatione latiſſimè diſſeruimus. Propoſitio igitur prima Pauli quam cap. de curatione febrium putridarum ſcripſit, interpretanda erit, ſi cauſa morbi vacuationem per ſanguinis miſſionem indicauerit. Nam quis (obſecro) in iuuene ſatis bilioſo multam bilis copiam victu, exercitatione, animi paſſionibus aceruanti, quàm promptè ſatis aut per vomitum, aut per aluum impetum facere cernis, venam rumpet ? Num illud verum non eſt, impedimentum ſanguinis miſſionis eſſe bilem ? & vbi ſanguis eſt paucus, reliquus ſuccus plurimus, cauendum eſſe à ſanguinis miſſione ? Verùm enimverò vt plurimum à ſanguinis miſſione auſpicamur curationem, cùm quòd tutiſſimum exiſtimetur remedium, & ad reliquas vacuationes præparans maximè corpus, tum præterea quòd rariſſimè vſu veniat vt ſanguis aliquantulum in huiuſmodi febribus non peccet. Fiat igitur cum conſideratione cauſarum naturalium, non naturalium, & præter naturam, quæ omnia ſi eam fieri vetuerint, abſtinendum erit penitus. Adiecit autem Paulus : Si ventris cruditas non ſit, quæ de differentibus remedium eſt, non de ijs quæ omnino prohibent. Cæterùm de purgatione Paulus, Aëtius, Oribaſius nullam quidem fecere mentionem, at verò inchoantibus morbis erit facienda : Si quid enim tibi videtur mouendum moue: id eſt, ſi morbi magnitudo poſcat, & vires minimè diſſenſerint : Ex his enim duobus conſtat auxiliandi tempus. Purgabis igitur pharmaco cum humore conuenienti, ſed non in die motus, aut in diebus imparibus ſed paribus cum Auicenna : Caue ne in die paroxiſmi moueas. Et cum Hippoc. lib. 4. de morbis, qui priores medicos erraſſe ait, quòd in diebus imparibus purgarent. Quòd ſi humorem

6. Epid. parte 3. com. vlt.

4. Method.

Lib. de renū affec. Et 2. Acut. 11.

2. Aphor. 29.

Lib. de Optima ſecta ad Trafib.

aliquò moueri olfeceris, in aluum ſcilicet, aut ventriculum, aut cutem, aut articulos, conuenienti medicamento purgabis: Nec eſt neceſſe inordinata motione vltrò citroq; agitari ſuccos, ſed ſatis eſt, ſi minus reſides eſſe intelligas atq; hærentes ex Tralliano lib. 12. cap. 6. Vbi diſſolutos humores confeſtim vacuandos eſſe imperauit, diſſolutosq; eſſe tunc cognoſci, cùm per initia immoti, ob præcedentem victum aliquo modo agitari incipiunt. Ego ſanè nullam ad purgadum corpus potiorem occaſionem operior vnquam, quàm iſtiuſmodi humorum motionem quacunque regione inceptam: cùm ſit illud euidentiſſimum, humores qui ſic mouẽtur, exitum inueſtigare, facileq; trudendos, ſi pharmaco dirigantur. Quale autem futurũ ſit pharmacum, cùm de febribus agemus in particulari, declarabitur. Non deſunt qui in pueris vtrunq; auxilium vetent, ſanguinis miſſionis & purgationis: ſed vtrunque puerilem ætatem admittere libro ſæpe citato demonſtrauimus, vbi ſolam magnitudinem morbi, & virium robur admittere remedium diximus, cætera verò ſolam auxilij quantitatem. Si interim per vomitum irruere humores ſuſpexerimus, iuuabimus, aut aqua tepida, aut hydræleo, aut alio eiuſmodi lenientium medicamentorum auxilio; ſin minus, omnes vnico conſenſu vomitum prohibuerunt, ea potiſſimum de cauſa, quòd difficilis admodum ſit, ac vehementer concutere corpus ſoleat, quo nihil febrienti moleſtius, ac nocentius. Poſt has vacuationes, quæ vniuerſum corpus inanierunt, quatuor canones imperauerunt obſeruandos Galenus 11. Method. Auicenna de putridarũ curatione, & Paulus eodem cap. nẽpè στεγνότητων, id eſt, putriũ vacuationẽ, & omnino coctioni inhabiliũ, aut per aluum, aut per vrinã, aut per vomitũ, aut per ſudorẽ. Ex quibus, quoniã vomitũ nõ ſemper licet mouere, reliquas vacuationes procurabimus. Aluũ quidem clyſteribus, nunc acribus, nunc mollibus, pro humorum conditione vacuabimus. Potiſſimùm vtebatur Gal. clyſtere ex hydræleo & melle, aut ſi alio vti malueris, ex decocto maluarum, violarum, betæ & oleo dulci cum ſaccharo, aut melle

11. Meth. Auicen. de cura. putrid.

pro

pro febris magnitudine parabis, cui addes aut hieræ picræ compoſitæ aut benedictæ vnciæ ſemiſſem. Monuit autē Aëtius ſuo loco, ne oleum roſaceum clyſteri miſceremus, ne ſurſum materias repellat; propterea quòd auctore Hippo. 4. Acut. com. 104. clyſter calidus vocat, frigidus verò reprimit humores. Quod autem ad vrinas & ſudores ciendos attinet, ſyrupis tantopere apud noſtrates conſuetis vti ſolemus: ſed inter hos eligas eos, qui calfactionem & ſiccationem non inducunt inſignem, cuiuſmodi ſunt aqua mulſa, oximeli, apomeli, ptiſana hordei: apij etiam decoctum inuenit Galenus, & eum ſequuti auctores: noſtris verò temporibus temperatioribus datur vti auxilijs, cuiuſmodi exiſtit ſyrupus acetoſus, oximelite multo temperatior, oxiſaccharū, ex citris, ex oxalide, ex intybo, cichorio, lupulis & ſimilibus; atque hos magis adhuc attemperamus, dum id eſſe ex vſu cognoſcimus, aquis ſtillaticijs commiſcentes intybi, aut cichorij, aut chondrillæ nunc vocatæ, aut borraginis, aut bugloſſi, aut lupulorum, aut aqua in qua ſuccus granatorum dulcacidorum exprimatur, aut in qua limones minutim ſecentur, aut mala citria, & vocata narantia, aut demum aqua hordei. Apomeli vituperauimus antea cum Dioſcoride, & aquam mellis damnauerunt Hipp. & Galenus 3. Acut. de aqua mulſa. propterea quòd in naturis bilioſis facillimè in bilem tranſmutetur, quemadmodum & alia omnia quæ dulcia ſunt, inter quæ maximè bileſcit mel. Hac igitur de cauſa huiuſmodi potiones ſuſpectas haberem, & vtiliores alias in vſum adducerē. Quocirca dum laborantes febre æſtuantes percipio, ſcabra lingua, & ſiti valida, non ſolùm his interdicere ſoleo, ſed etiam à me laudatis, ſolo ptiſanæ cremore contentus, oxicrato, aut apozemate ex frigidis aperientibuſq; herbis, aut radicibus, vt intybi, cichorij, hordei, prunorum, aqua demum tepida, quādo non datur frigidiſſima vti. Quibus potibus vti expedit maiori quantitate quàm ſolent ij, qui paſſim ſe practicos iactant, exhibere in morbis æſtuoſis & ſiticuloſioribus; quòd (vt probaui lib. De ratione permiſcendi medicamenta) ſyruporum potus, non

non ſolùm propinantur, vt medicamentoſa illa ví ſuccos emendent & corrigant; ſed vt ſitim leuent ſatientque. His ſyrupis ſeu aquis ſolis, ſeu ſtillatitijs, ſeu decoctione herbarum calfacientium, procuramus ſudorem elicere. Eſt enim tanta ad ſudorem in corporibus febricitantium propenſio, vt vel aquæ hordei calidæ, aut conſimilis potione, promptiſſimè exudare ſoleant. Dum hæc peraguntur, licet totum corpus molliter fricare, & vngere oleo rarefaciente abſque tractione humorum, cuiuſmodi eſt oleum chamæmalinum, dulce vetus præcipuè Bæthicum, aut conſimile. Antea minimè licebat eiuſmodi frictione aut vnctione vti, pleno exiſtẽte corpore, ſed cùm depoſita multitudo eſt (præcipuè ſi coctiones appareant) quo tempore quæ proximè dicta ſunt commodiſſimè exercentur, & veſtimentis facta æqualis contectio, quæ tunc fit quando æger quietus iacet, & probè cõtegi permittit. Paulus, Galenus, Auicen. & alij vinum porrexerunt; cæterùm tunc commodiſſimè oportuniſſimeq; porrigetur, cùm coctionis apparuerint notæ, quòd coctiones adiuuet, & reliquas vacuationes promoueat, ob tenuitatem & tepidum calorem; aquoſum enim aut valde dilutum conceditur. Sed hoc habebit locum, dum febris facta fuerit moderatior; quoniam ſi febris magnitudo obſtiterit, vt in continuis, neq; vino, neque lauacro, neque vnctione frictioneve vtendum, ſed frigidæ potu copioſiſſimo, niſi quid prohibeat. Qua ratione Auerroës de curatione in vniuerſali, vinum calidis negat, cõcedit verò frigidis. In huiuſmodi igitur vehementioribus febribus aqua tutiùs quàm vino vteris, niſi quid (vt prædixi) prohibeat. Prohibent autem tumor aliquis internus, vt pleuritis, iecorisve inflammatio, languor facultatis ventriculi vel cruditas, inter quæ etiam deſuetudo numeratur, nõ quidem omnino vetans, conſulenda tamen. Ergo ſi nihil iſtorum vetuerit aquæ contentioſum potum vbi febris ſit ardentiſſima, ſigna adſint coctionis, & vires validæ cum fiducia exhibebis, & hoc eſt commodiſſimum tempus aquam frigidam propinandi: minùs tamen oportunè, non prohibet quin vrgente febre

Acutor. 4. com. 44.

11. Method. Orib. & Paulus.

Galen. Trallian. Auicen. Paul. Aëtius, Orib. ſuis in locis.

febre magis, liceat neglecta cauſa febrim reſtringere, quanquam inflammationi aut putredini poſſit nocere, non tamen valde, præcipuè ſi inflammatio erisypelas ſit exquiſitum, cui refrigeratio conuenit proprius. Licentiam auxerunt Galen. 10. Meth. Paulus, Orib. & Aëtius, eo vſquè, vt bene carnoſum hominẽ, tempore æſtatis, cum robore virium & notis coctionis, febreque ardentiſſima in aquam frigidam immergendum eſſe imperauerint, quod tamen neutiquam facerem. Non equidem quòd id præſidium conferre negauerim, ob cauſas à Galeno de vomitu aut ſudore adductas, ſed quòd maximopere vulgi pertimeſcam iniquum iudicium, quod tam paradoxon remedium facilè abominaretur: & quòd medici coniectura falli queat; quare in promptu erit medici apud vulgus infamia, ſi ex voto non ſucceſſerit. Melius ergo (exiſtimo) faceret medicus, ſi epithematis iecori, cordi, teſtibusq; ex aquis & pulueribus frigidis vteretur, emplaſtris itẽ ex portulaca cum roſaceo & oui albumine, aut ex farina hordeacea cum hydræleo aut ex ſemine lini cum hydræleo. Quòd ſi vires minus ſint validæ, apparentibus ſimul coctionis notis, & febris paulò ſit mitior, vinum, frictio, & vnctio optimè conuenient. At ſi maxima febris cum languore virium iungatur, viribus prouidendum eſt, & febri quatenus vires conſenſerint, pronunciato morbi periculo: quo tempore frigefacienti aliqua potione vterer, cuiuſmodi eſt quæ ex medulla cucumeris in aqua, aut tribus albuminibus oui in congio aquę diſſolutis paratur, vt apud Hipp. 3. libro de morbis ſcribitur: verùm ptiſanæ cremor, aut oxycraton, aut aqua frigida vel temperata, ſalubriora ſunt.

CAP. XXIIII.

De febribus bilioſis.

MEdebimur bilioſo generi febrium, ſi prius earum notas præſcripſerimus, ac ſeorſum tertianarum, ſeu intermittentium, quòd de continuis omnibus vnico capite generalem ſumus tradituri diſciplinam. Cognoſcemus igitur genus exactè bilioſum ex rebus

Signa. naturalibus, non naturalibus & præter naturam. Præter naturam quidem ſunt ſitis, ardor maximus, color pallidior, pulſus magnus, celer, creber, calor acerrimus, vrinæ flauiores, excrementa bilioſa, ſiue per vomitum, ſiue per aluum excernãtur. Secundùm naturam, ſexus maſculus, ætas iuuenilis, temperamentum calidum & ſiccum, ſiue natura tale ſit, ſiue victus conſuetudine comparatum (idem enim de vtroque habendum eſt iudicium, quantùm attinet ad curationem) ſecundùm naturam ſunt regio calida & ſicca, tempus æſtiuum, cibi & potus calidi, vigilia & motus nimius, detenta vacuatio bilioſa excerni ſolita, ira ſeu cura immodica. Quæ omnia ſi ſimul conuenerint, exquiſitam bilioſam febrẽ pronunciant, idemq; monſtrabunt, quamuis horum pauca demantur. Ea namque cauſa Trallian. adiecit omnia debere eſſe χέδον σύσοιχα, hoc eſt, eiuſdem ordinis ferè, quantum attinet ad calfaciendum: ob quam cauſam apud ipſum nihil vetuit ſenem tertiana corripi legitima, atque ego in ſeptuagenario & eo amplius eam ſum expertus. Is autem erat Rodericus Bibar in templo diuæ Mariæ apud Complutenſes de primarijs ſacerdotibus vnus. Quòd ſi multæ harum cauſæ defecerint, quò plures eæ fuerint & alterius naturæ, eo miſta magis erit febris, & minus ſyncera. Hactenus bilioſum genus figurauimus, nondum tamen exquiſitam & intermittentem tertianam, quare de illa agere oportunum erit.

9. Method.

2. de Criſ. cap. 3.

CAP. XXV.

De notis exquiſitæ tertianæ.

SImul atque cognouerimus bilioſam eſſe febrem atq; exquiſitam, ad cognitionem tertianæ vlterius properandum eſt: eſt enim legitima & exacta tertiana, quæ ſynceram ſuam naturam vbiq; ſeruat, ob flauam bilem abundantem; quæ facillimè noſcetur ex vehementi ſtatim cùm incipit rigore: pulſus ſunt calidi ſatis, magni, celeres, & crebri, omnis inæqualitatis expertes, præterquam febrilis,

brilis,id eſt,diſpares continui ſub vno digito,qui velocius habent principium & finem quàm medium, vt voluit Stephanus Athenienſis,qui ait virtutem non eſſe deiectam ob ſucci leuitatem: calor ſimilis ardentis febris: prouenit ad infebricitationem intra ſpacium duodecim horarum,vt notat Hippoc.2. Epid.parte 3.contex.25. & Gal. 2. de differentia febriũ cap.3. & lib. 4. Aphor. 59. Atque id ipſum voluit Auicenna fen. 1ª. 4ª. cap.40. Vbi ad quatuordecim horas extendi poſſe paroxyſmum tertianæ dixit. Repetit per tertium diem,vnde tertianæ nomen aſſumpſit, licet huic notæ parum ſit fidendum,dum cætera reclamant ſigna; quare qui iudicat febres per paroxyſmos,errat in eis,vt verbis Auicennę vtar fen. 1ª. 4ª. Quod etiam dixerat Gal.1. de differen.feb.c.10. Non oportet acceſſionum circuitus,ac ſimiles proportiones ſolùm in febribus aduertere, ſed multo magis ipſius febris modum & formam,non aliter ac homo ex propria figura & forma cognoſcitur, vt ex vnguibus leo: Ex vomitu bilis,ſudore, ac deiectionibus (horum enim quibuſdam vel omnibus ſoluitur) ex impetu etiam morborum eo tempore graſſantium. Iecur in illis potiſſimùm laborat,tanquam genitor ac effector bilis. Vrina rufa aut flaua,quibus ſi aſtipulentur cætera, quæ in biliosis adeſſe diximus, lapide rudior eris, ſi præſentem tertianam non cognoueris.

CAP. XXVI.

De cauſis & præſagijs Tertianæ.

TErtiana ſeptem periodis terminatur, quod longiſſimum eſt, aut ad ſummum nouem, vt ex Hipp. libro Coacarum prædictionum patet; libro autem de iudicationibus additur plerunque, non quòd citius nequeat tertiana terminari, id enim dici non poteſt, propter ea quòd differunt à ſe inuicem tertianæ, quantitate maiori aut minori, qualitate craſſiori aut minus craſſa, robore virium maiori aut minori, corporis diſpoſitione rariore, aut compa-

Septẽ periodi 13. diebus finiuntur, non 15. vt malè exiſtimat Stephanus.

2. de diff. febri. cap. 3.

ctiore: ex quibus ſanè maius robur, raritas contextus corporis, pauca materia & tenuior, paucioribus periodis terminatam producent tertianam, contrariæ cauſæ pluribus, mediæ verò ſeptem periodis. Quod vt rectius teneas, illud memoriæ mandandum eſt, aſſerta Hippocratis de acutorum morborum duratione, intelligenda eſſe de medijs conditionibus, nequaquam de extremis, quæ cùm in infinitum permutari poſſint, calamo aut methodo non valuerunt comprehendi. Id ipſum quoque de paroxyſmorum duratione dictum volo, qui citius duodecim horis, ob paucitatem materiæ, robur virium, corporis raritatem finientur. De tertiana verò exquiſita prædixit Hippocrates ταχυκρίσιμον καὶ οὐκ θανατώδη, quod vertit Galenus mitiſſimam & breuiſſimam eſſe; quibus addidit Trallianus, & facilis curationis, ſed ſi minus benè tractetur, δυσθεράπευτος ἢ ἀνίατος, id eſt, aut difficillimè, aut nunquam curabitur. Atqui inter tertianas, quæ exquiſita eſt & primi typi, breuioremq; acceſſionem quiete habens, ſimpliciter tertiana; quæ verò quietem minorem paroxyſmo obtinuit, non iam tertiana omnino, ſed extenſa nominatur tertiana. Cauſa eſt bilis rufa aut flaua aut viridis ad nigrã vſque, ſi in deterius eam abire contigerit. Hos enim progreſſus facit bilis in deterius ſemper mutata. Et quoniam bilem puram dixit Galenus cauſam eſſe, nequaquam intelligas ſynceram, & omni ſeroſa humiditate exutam; hoc etenim præterquam in ſolis accidit mutationibus ad malum vergentibus, in bile non admodum exuſta haudquaquam requiretur. Imò verò bilis naturalis ſemper habet comitem ſeroſam humiditatem à qua dum ſpoliatur flaueſcit ex rufa. Vocat ergo puram eam, quæ alteri humori ex tribus non commiſcetur, quantum ad ſenſum attinet.

3. Epid. parte 1. cont. 8. & 1. ad Glauc. cap. 8.

CAP. XXVII.

De curatione Tertianæ.

SCopus totius curationis tam qui sumitur à causa quæ calida & sicca est, quàm qui à febre ipsa, refrigerandi est & humectandi: nisi quòd quæ causam refrigerant, poterunt illam crassiorem & ad exitum ineptiorem reddere, quod neutiquam in Galeni doctrina versatus faciet, aut Tralliano addictus tentabit, qui semper incindentia humores & obstructiones aperientia iubent admouere. Quapropter summoperè attendere oportet, vtra nam indicatio plus vrgeat, vt pro vincentis postulatione remedia adhibeantur. Deinde purgandum est corpus, aut per sanguinis missionem vacuandum, perpetuò recordantibus nobis qualitatem magis infestare in tertianis quàm materiam, vt in quotidianis magis materiam, vacuandumque potius in his, in illis verò alterandum. Cùm igitur in primis vacuationem necessariam perspexeris, statim ipsam moliri oportet; quoniam auctore Galeno non est offerendus cibus, oblata necessitate vacuationis, antequàm illa fiat, primo Acutorum com. 33. quanquam ibidem de acutis & dolorificis agatur morbis. Si igitur expedit inter initia, aut spontaneam vomitionem, aut alui deiectionem, si qua sit, iuuato, aut aquæ tepidæ, aut hydrælei, aut syrupi alicuius, tertianæ conuenientis vncia j. vel vncijs ij. cum aquæ tepidæ ℥vj. aut viij. Inijciatur clyster mollis, quòd acris sit materia morbi, & satis calida, ex hydræleo, & saccharo aut modico mellis, aut ex decocto maluarum & betæ ℥viij. & olei dulcis ℥iiij. Quod si sanguinis copia adesse videatur, aut mixta cum sanguine bilis aut comes, quod cognosces ex totius corporis rubore, turgore, & tensione, auderem cum Stephano Athenensi secare venam basilicam dextri brachij pondo libræ semissis, plus vel minus pro viribus & plenitudine. Nam si 8. libro Method. in diarijs febribus in quibus ob plenitudinem sanguinis, aut eiusdem mediocritatem, pertimescens transi-

1. ad Glauc. Stephanus Athe.

tum in putridam, iuſſit aperire venam, quanto æquius eſt in tertiana, quæ putrida eſt, & in qua par eſt infectam putredine bilem vicinum ſanguinem eſſe infecturam, ne fiat febris continua, aut fomitem præbeat ipſi tertianæ, ſanguinem demere, vbi aut eſt plenitudo, aut magna ſaltem eius copia redundat. Hanc quoq; venæ ſectionem ante tres periodos iuſſit Auicenna fieri (hanc etenim lectionem vt veriorem recipio) quòd bilis & ſanguis illi vicinus in dies magis efferueſcant, & biliоſiores reddantur, minusq; apti eductioni per ſanguinis miſſionem. Fiet quoque interdum poſt tres periodos, ſi tunc etiam indicationes quæ ſanguinis detractionem expoſcunt, vigeant, ſed magna ex parte in progreſſu morbi minui ſolent; idq; conſultiſſimè præcauit Auicenna. Sententia verò illa quæ tres ſpectat periodos, exiſtimans tempus illud oportunius eſſe, falſa quidem eſt prorſus; Nam qua ratione miſcebitur magis bilis poſtea cum ſanguine, ac non potius ſanguis bileſcet & à natura ſua declinabit? Licebit quoque progrediente morbo venam illam, quæ inter minimum & anularem dextræ manus ſita eſt, rumpere, quam maximè prodeſſe puto cùm non quidem vacuare conamur, ſed feruentes potius humores in partibus noſtri corporis profundioribus & propè membra principalia ſitos, ad extremas corporis partes ſtudemus deriuare. Extinguetur enim tunc focus & internus ardor, perinde ac ſolet extingui cùm ardentia ligna procul à foco ſeparantur. Quam nimirum ſeiunctionem, ſeu reuulſionem, ſeu deriuationem ad latera effectã expetit Galenus, vbi qualitate nocet ſanguis, & naturæ nutrimento factus eſt inutilis. Hanc autem nos exercemus, vbi non admodum exangues arbitramur eſſe laborantes, & ſiticula atq; ardore aſſiduo moleſtantur: cùm re vera copiam ſanguinis detrahere, & multitudinem, cui miſſio ſanguinis, ceu vacuantium præſidiorum vnum debetur, tollere non eſt in animo. Purgabimus quoque primis diebus aut periodis, ſi magnam bilis copiam ſenſerimus, leuiſſimis pharmacis, & qualia bili educendæ conueniunt, quæ inter omnes humores promptiſſimè

Qua ratione vena dextræ manus ſit aperienda.

9. Meth. ad fi.

14. Meth.

ſimè trahitur. Hoc etiam Auicenna ſuo loco manifeſtè voluit, lenire (vt ille ait) iubens lenitate quadam. Stephanus Galeni interpres fideliſſimus, inclinantem deorſum bilem, hoc eſt, ad ipſa inteſtina, ſubducere per inferiorem ventrem cum ipſo Galeno iuſſit. Atque ipſis multo antiquior Hippocrates lib. 2. de morbis, in febribus ex bile ortis, torminibus in imum ventrem ruentibus, pharmacum deorſum purgans propinauit. Vnde falſo putauerunt quidam non eſſe purgandum laborantem Tertiana, quòd nuſquam Galenus purgationis meminerit capite de tertiana, cùm illic expreſſa oratione hæc ſcribantur: Adhortari igitur oportet vt qui ad vẽtriculum cõfluit, vacuetur per vomitum; qui verò deorſum, per inferiorem excretionem. Ibídemq; paulò inferius de ſudoribus & vrinis ciendis locutus adiecit: ἀγαθὴ δὲ καὶ ἡδεῖα τῶν κάτω τῆς χολῆς κάθαρσις: id eſt, bona autem & bilis purgatio per inferiora. Trallianus itidem ſuo loco in hunc modũ ſcripſit: Oportet animum diligenter aduertere, eum qui humectanti victu vſus ſit, vt cùm humores ab illo diſſolutos viderit, ſtatim vacuandis eis, extrahendisq; incumbat, medicamento exhibito quod non valde calfaciat. & quandoquidem redundat cacochymia in hoc morbo, illi iure ſuo purgatio eſt expediens, niſi alicunde illam vacuari medicus conſpicatus, crediderit planè ſaluti ægrotantis fuiſſe ſatisfactum. Hoc etiá iubet Auerrous facere cùm mala adſunt accidentia, quando ſcilicet ex vitellina aut praſſina bile febres originem ducunt. Verùm huiuſmodi purgationem ex Auicẽnæ doctrina in die quietis commodè faciet medicus, minimè verò in die paroxyſmi, ne vltra inuectam corpori à morbo vexationem, (quã eo die patitur ęger) nouam aliam illi incuſſiſſe videamur: fiet præterea vt naturâ in ambitum corporis humores pellente, arte verò intrò reuocante, mutuo ſeſe impediant, quod minimè continget, ſi eo tempore mouere vomitum tentauerimus, quem in ipſa acceſſione, & paulò antè, atque etiam in declinatione poterimus ciere commodè, cum illis quæ dicta ſunt medicamentis. Plurimùm etenim per vomitum ſolent humores.

1. ad Glauc. cap. de tertiana.

Gal. lib. de purga.

humores paroxyſmum efficientes, impetum facere. Non tamen diffiteor aliquando poſſe eo tempore naturam in ventrem inferiorem pellere, & interdum purganti pharmaco iuuari. Purgantia medicamenta ſunt, Tamarindorum vncia in aquæ lupulorum vncijs ſex per noctem macerata, vt ſummo mane detur potio tepida. Caſiæ fiſtulæ ℥ij. in aquæ endiuiæ ℥vj. cum diagridij granis ij. aut iij. Mannæ ℥j. aut ℥j. ℔ in iure pulli aut aquę tepidæ ℥vj. Rhabarbari ℥ij. infuſi in aquę endiuiæ ℥vj. & deinde propinetur colatura, lactis aſinini hæminæ duæ, ſerum lactis æquali pondo in quo roſarum. m. ij. maduerint per noctem. Syrupus violarum, aut roſarum ex nouem aut pluribus infuſionibus, quorum vires diagridio acuantur; quibus olim liberaui filios Marchionis Berlangenſis. Conſeruæ roſarum Alexandrinarum, aut roſarũ, moſchariæ aut ſucci Hiſpanarum roſarum ℥ij. aut mellis roſacei ex ſucco mercurialium ℥ij. Deindè iuxta canones quatuor, de quibus mentionem fecimus ſuperiori capite, cienda erit vrina, ſudor aut aluus, quod præſtabimus, non anethi decocto (quod valde calidum exiſtat) ſed vel apij, vel petroſelini noſtri vulgaris, aut adianthi, endiuiæ, aut radicum cichorij. Syrupus acetoſus Auicẽnæ id etiam præſtat optimè, oxyſaccharum etiam, ſyrupus limonum, citriorum, & narantiorum, endiuiæ, cichorij cum aqua lupulorum. Addit Galenus abſynthij comam eſſe macerandam in aquæ mellis ℥vj. nocte integra, maneq; propinandas; iubet autem dari comam, quoniam exigua eſt vis in radicibus. Verùm hoc remedium eodem iure reprobauit Tral. quo anethum. At verò Galenus apparentibus coctionis indicijs exhibebat, quoniam cùm adſtrictione polleant & detergeant, timet ne ſi antea propinentur, aſtrictionem craſſorum, tenuiumq; purgationem faciant: quod poſt coctionem minimè continget, cùm vtroſque miſcuerit natura humores, quo ſanè tempore roborabunt ventriculum & excernent coctos humores per vrinam. Deinde vbi quadam ex parte vacuatum eſſe corpus ſenſerimus, licet non appareant notæ coctionis, ſed illis apparentibus multo

Purgatio.

Tral. præceptum.

oportu-

oportunius, lauacra adhibentur aquæ dulcis calidæ moderatæq́;, præsertim balneis assuetis. Nam cùm nostra tempestate adeò sint apud nostrates insueta balnea; consulerem, vt eis abstineant, aut magna cum præmeditatione vtantur. Ego verò sudorem mouco hordei decocto, aut alterius herbæ refrigerantis, præstoq́; quod balneæ solent: nam & bilem vacuo, & refrigerantem humectantemq́; infero alterationem, quam biliosa febris exposcit. aut ægrum sedentem in vase, quod tinam vocat, aqua moderatè calida perfundo, vt in hecticis fieri solet. Prius verò docent olei vnctione & molli frictione totum corpus madefacere, & raros poros efficere ac materiam digerere, quod melius putat Trallianus hydræleo fieri, quòd magis humectet & amplius penetret. Hæc autem vnctio aut frictio fieri debet in domo aut loco cuius aër calidus existat, vt possit in eo nudari: verùm quia ilico exudant, detergatur sudor ante vnctionem, ne vnctio sudore diffluente impediatur; moreturq́, ibidem pauciſſimum, ne materia deficcetur, corpusq́; longa mora incēdatur. Hinc mox transeat ad aquæ solium, in quo humectetur, quare non debet post balneas inspergi nitrum, sal, aut sinapi, quoniam hæc exiccant corpus: lauabunturq́; pro consuetudine & voluntate, ac sæpius post coctionis signa. Post lauacrum vinum propinant aquosum substantia & colore, quod antea nondum apparenti coctione minimè concedebant; eo quòd vinum distribuens & fundēs succos, obstructiones augeat; tunc verò si exhibeatur dilutum, resoluit, refrigerat & humectat sua penetratione. Quanquam Trallianus aqua tepida post balneas est contentus, & ante paroxysmum, ac in ipsa tam accessione quàm declinatione maximum remedium putat: id autem fiet in his potissimum qui vino abstinere possunt: vel vtere syrupo acetoso cum aquæ endiuiæ aut lupulorum certo pondo. Cibus exhibebitur plenior in principijs, tenuior medio tēpore, propè statum & in ipso statu tenuissimus. Huiusmodi enim ordinem docuit Hipp. Galenus, Auicenna, Paulus, Aëtius. Si breuissimus sit morbus & septem diebus terminandus solis

Arist. lib. problē. 50.

Gal. Paulus, Auicen.

Quis cibandi modus.

lactucis, cucurbitulis, blitis, maluis, ſpinachijs decoctis cum ciceribus, pomis aſſis, vel ad vaporem decoctis, prunis, mica panis in aqua tepida, aut cum ſaccharo & aceto & oleo condita, vt Bæthicis moris eſt: idq; fiet in die quietis, nam die paroxyſmi cibos vitabimus, ſolis contenti aut narantijs, aut prunis, aut pomo aſſo ſine pane. 1. Aphor. 9. Perpetuò ſiquidem abſtinendum eſt in acceſſionibus, ac paroxyſmus aduenire debet vētre vacuo. Ditioribus autem hominibus quietis tempore dabimus pullum coctum, aut carnes hœdinas cum lactucis aut cucurbitulis decoctas. Far etiam (quod ptiſanæ toti aliqua ex parte reſpondet) optimum eſt alimentum, maximè in illis morbis, cuius ſcopus curatorius requirit refrigerationem & humectationē. Melones, cucumeres, pepones & melopepones, mala granata acido dulcia narantia, non parū etiam conferent. Sed quibus non placuerint prædictæ carnes, nec paſſerculi, nec perdicum pulli, aut phaſiani, poterūt in cibos piſces adhiberi, ex quibus conuenientiſſimi ſunt barbati parui apud Carpetanos dicti, truttæq; cocti, ranæ, ac demum qui coctu ſint faciles, friabiles, & probo alimento nutriti. Alæ magnarum auium (quæ ob magnitudinem aliàs non darentur) concedūtur, quòd ob exercitationem excrementis careāt; teſtes gallorum, ſuū pedes, cerebra, & ipſæ porcellorum carnes exhibentur, fortaſſe ob humectationē, & vt laborantium appetitui gratum facerent, aliàs enim pedes viſcidi ſunt craſſoq; nutrimento præditi, vt ſuo loco docuit Paulus. Ego ſanè potius exhiberem hœdorum pedes, quibus huius vitij minus ineſt. Oua ſorbilia, aut aqua incocta, vel aſſa; dura ſemper vituperantur, ex quibus Galenus vitellū porrigit; ego verò integra potius darem, quoniam totum ouū frigidius & humidius eſt alimentum, niſi fortè ob ventriculi languorem, vitella tantùm offerre cogeremur. Potus eſto aqua hordei, & vino aſſuetis cinnamomi. Tranſacto vigore ſi criſis ſubſecuta fuerit, optimum quidem; ſin minus, repurgandū corpus, electuarij è ſucco roſarum Meſues aut Nicolai ℥ ß. aut Rhabarbari ʒij. per noctem infuſis in ſeri hæmina, ex quibus propinanda colatu-

colatura: aut ſaccharī roſacei ℥j. cum diacrydij gr. iij. tantundemq; cum cōſerua violarum: aut pillulis ex rhabarbaro, aut aggregatiuis. Aliquando ante coctionem dedimus rhabarbarum ipſum integrum, in aquæ endiuiæ ℥iiij. in illis præcipuè quibus ſatis lubricam ſentiebamus aluum. Auerrous interim non probatur, qui ſpectata coctione quotidie exhibet rhabarbari ʒ ij. in ſyrupo violarum, & tamarindorum, aut iuleb, & ſquincibin. Ciebimus ſudoré hordei decocto aut alio ſimili actu calido; ſiquidem in biliosis morbis, quibuſq; rebus actu calidis mouetur ſudor. Inungendum eſt hepar vnguento roſaceo, aut refrigerante Galeni: & ſi obſtructionem aliquam cum calore ſupereſſe noueris, miſce cum illis vnguentum deoppilatiuum pondo ſemiſſem. Ore ſumat cremorem ptiſanæ cum radicibus apij decoctæ, ſero vtatur apozemate radicum cichorij, hordei, eryngijq; & cicerum hæminæ pondo ſingulis auroris: quibus adde diarrhodonem, diatriū ſantalorum, diamargaritonem frigidum. Soleo etiam decocto cichorij vti, in quo maduerit coma abſynthij per noctem integram. Aſtringentia etiam Auerrous vetuit lib. 7. cap. 9. ante coctionem; nam ea quæ aſtringunt, non ſunt exhibenda in morborum initijs, vt de myrobalanis monuit Auicen. rationeq; oſtenditur ſaccharum roſaceum non expedire (vt vulgo fit) poſt primam purgationem, neque alio tempore quo non ſit opus aſtringere.

℞. vng^ti. roſacei aut refrigerātis Galeni vnciam, de oppilatiui ſemunciā miſce.

CAP. XXVIII.

De tertiana notha.

SI tertiana notha fuerit, id eſt, quæ miſtam cum bile pituitam aut melanchymiam habuerit, ſignificantibus notis deprehenditur, & ex paroxyſmo duodecim horis longiore. Curabitur eiſdem ſcopis quibus exacta, ſed paucis mutatis; quoniam materia eſt minus calida, multoq; magis cauſarum correctionem molimur in ea quàm in legitima. Quare facta corporis præparatione expurgabi-

mus, ſi opus eſſe videatur, præcedente ſanguinis miſſione, vbi eam expedire cognouerimus, ſtatimq; in ipſo principio; tantumq; ſanguinis effundetur, quantum præſenti copiæ, & indicationibus, coindicantibus, ac correpugnantibus conuenire apparuerit; eodemq; pacto de purgatione eſt ſentiendum. Inciſoria deinceps, & quæ vrinas & ſudores prouocant, ſunt exhibenda, & quæ paulò magis calfaciant, quàm quæ in exquiſita tertiana conceduntur. Cæterùm non ita temerè ac Galenus & alij ptiſanam cum pipere, aquam mulſam cum hyſopo aut origano propinare debemus, quoniam ſine periculo offerri non poſſunt, præſertim ſi pauca ſit miſta pituita, & ægri temperamentum calidius ac ſiccius: tunc enim monitore Tralliano ſatis eſſet vti ptiſana non condita, apij decocto, aut ptiſana cũ apij radice ſubacta & cocta, aut cum anetho, aut porro, aut quæ nonnihil mellis acetiq; acciperet. Imò verò ſi pauciſſima fuerit pituita bili permiſta, abundè eſt ſola ptiſana per ſe vti, aut exiguum ſatis piperis aut fœniculi adijcere. Quando autem multa pituitæ copia redundauerit, cõmodius, quæ Galenus, Paulus, Aëtius & Oribaſius imperarunt, adhiberi poterunt. Balneæ ſpurijs tertianis non conducunt ante humorum euidentem coctionem; nam cùm ſua caliditate humores fundant, & hac ratione vtiles cum inutilibus permiſceant, tenues vacuent, craſſos deorſum pellant, fit vt non niſi poſt coctionem expediant; coctio namq; malos ſuccos à probis ſeparatos, & tenues cum craſſis permixtos eſſe declarat. Cibabimus laborantes alternis diebus, idemq; faciemus in febribus omnibus, quæ periodicè repetunt, ſi vires ferre poſſint; nec in die paroxyſmi cibabitur laborans, aut ſaltem donec tranſeat. Quod intelliges ex Galeno 1. Epid. parte 3. vbi de diurnis & nocturnis febribus agit; inter quas diurnam nocturna dixit eſſe deteriorem, quòd cogat noctu cibum exhibere, quo tempore ſomno eſſet potius indulgendum, vnde falsò Stephanus ea de cauſa alternis diebus cibãdum eſſe laborantem voluit, vt diebus intermedijs ſeu quietis (in quibus nihil ciborum aſſumi deberi inſinuauit) pituitoſa

tosa materia coqueretur, & in melius traduci posset. Accipient sorbitiones coctu faciles, hoc etenim in vniuersum præcepit Hippocrates libro De veteri medicina; quòd sint alimentis solidis coctu faciliores: quoniam non solùm potestate humidos imperauit Hippocrates cibos, sed etiam actu; cuiusmodi sunt sorbitiones: sed de horum genere cap. præcedenti diximus. Clysteres administrãdi sunt in hac febre paulò acriores, quàm in exquisita tertiana; quòd humores sint minus acres & calidi, ob mistionem pituitæ. Fouebimus hypochondria his quę modicè calfaciant, parumq; laxent, & digerant absque tractu, quorum materia superiori capite est descripta: quibus addenda sunt efficaciora, ob maiorem humorum pertinaciam; eiusmodi erunt oleum absynthij, menthæ, mastichinum cum chamæmalino; melilotum & absynthiũ, schænantum, spica nardi. Absynthij comam exhibet Galenus post septimum diem, hoc est, post coctionem, vt exponit Stephanus, ob nuper expositas causas: etiam si 4. de Sanitat. tuen. de absynthij coma dictum sit, non posse pituitam subducere, eaq; de causa in aqua mellis propinatur. Vomitus ante cibũ & post cibũ commendãtur, quòd soleant vsitati penitus febres absoluere; sed minus violẽti sunt post cibũ, præcipuè post eum, qui humores ad exitum parat, cuiusmodi est oximeli, aut aqua mulsa. Postremò moderatè subductoria permisit, vt polypodium, alypium, mercurialem, quæ simpliciora sunt, sed composita quoque hodie vsitantur dianhœnicon, electuarium indũ minus, diacarthamus, puluis turbith, agarici, cum semisse anisi & cinnamomi: Catapotia aggregatiua, sine quibus, cochiæ, de agarico cum scammonij additione, pillulæ hieræ simplicis Galeni cum agarici semisse aut turpeti: puluisq; ille apud Auicẽnam descriptus optimus est accipiens cinnamomi & turpeti aã ʒ. ß. fiat puluis cum saccharo, vel sine ipso.

absinthium

subductoria

CAP.

CAP. XXIX.

De Quartana.

QVartana legitima eodem finietur pacto quo tertiana exquisita, scilicet quæ puram synceramq; formá præ se fert à melanchymia profectam. Fit iuxta varias auctorum hæreses ex varijs causis; nam ex Auicennæ decreto tot sunt melanchymiæ species, quot humorum in nostro corpore differentiæ, videlicet melanchymia ex pituita, sanguine, bile & fece sanguinis, adustis & in cinerem translatis, aliudq; genus ex fece sanguinis, seu naturali melanchymia facit. Ita vt duplex sit causarum genus, alterum ex vstione cuiusuis humoris; alterum ex fece sanguinis seu melanchymia secundùm naturam citra vllam vstionem. Ex Galeni verò sententia duplex etiam causarum genus existit, sed alterum vstione, aut bilis, aut fece sanguinis tantùm, quoniam geminam solùm atræ bilis generationem admisit primo Prorhe. com. 4. nam vt ex professo Manardus disertè docuit, pituita vsta non migrat nisi in album humorem, vt de sputo rotundo adductú exemplum 2. Prog. facit perspicuum. Alterum verò sex ipsa est sanguinis, quam non audet Galenus atram bilem nuncupare, quòd non sit ex bile genita, neque rodat, aut abigat muscas, sed melancholicum succum, id est, atrabiliariú; qua oratione cùm adhuc bilis denominatio inuoluatur, melius esse cẽsui ficto nomine melanchymicũ eum nominare: quòd melachymia nomẽ sit & omnibus nigris humoribus siue vstione genitis, siue alia quauis ratione satis cõueniens genus. Sed si quis accuratius paulò Galeni orationem pensare voluerit, inueniet crassos humores, vndecunq; crassitiem habuerint, melanchymicos nominari 13. libro Methodi cap. 14. & libro de Tumoribus præter naturam scirrhos appellat, qui ex crassis humoribus fiunt, siue illi à pituita, siue à fece sanguinis ortum habuerint: vt vel hinc liquidò constet, quartanam à crassis humoribus pituitosis nasci posse. Quod Paulus significare voluit, quãdo alias periodos tribuit

4. Aphor. 21.

quarta-

quartanæ, quàm quæ per quaternos dies fiunt. Nonnulli autem arbitrati ſunt (vt memoriæ mandauit Tralſianus & ab eo mutuatus Auicenna) melanchymiam ob frigidam & ſiccam naturam putredinis principijs omnino aduerſam, putreſcere non poſſe, nec febrem facere, quod poſſet Hippocratis auctoritate roborari, qui 7. Aphoriſmorum 43. Si febris non ex bile fiat &c. putredinales febres bilis nomine complexus, ab ephemeris diſtinxit: tametſi 2. Epid. parte poſtrema contex. penultimo, aliter enũciauerit, vbi pituitam etiam memorat, dicens: Si febris non ex bile, neque à pituita, ſed aut ob laſſitudinem &c. Et libro 1. de Morbis idem quoque his verbis expoſuit: Morbi quidem vniuerſi fiunt ex his quidem qui in corpore inſunt, tum à bile, tum à pituita, ab externis verò à laboribus & vulneribus &c. quibus omnibus locis melanchymiæ nulla prorſus facta eſt mentio. Cæterùm hoc dogma ab ſcholis medicorum repudiatur, in quibus omnes putreſcere humores, imo omnia dempto igne, communis eſt conſenſus: ſatis enim humiditatis habent omnes (licet poteſtate frigida ſit & ſicca melanchymia) qua poſſint putreſcere. Cui accedit, ligna, oſſa & alia frigidæ alioqui & ſiccæ naturæ bene putreſcere. Abſurda quoque & falſa eſt alia ſententia, quæ in ſolis inteſtinis aut ventriculo putrefieri humores tuetur, quòd vermes per vrinas non prodeant, vt ex illis locis. Nec enim ex qualibet putredine oriuntur vermes, ſed ex crudis alimentis, nec vt pituita, ita bilis vbicunque putruerit vermes generabit; imò nec pituita in ventriculo, eo quòd multus ibidem calor eſt, ſicut & in venis, vt 4. libro Metheo. Ariſtoteles oſtendit.

CAP. XXX.

De ſignis Quartanæ.

QVartana omnium eſt ſecuriſſima, facillima & longiſſima, quantùm ex ſe eſt, ob cauſas quas primo Epide. parte 3. com. 4. refert Galenus: magnum habet interuallum; in quo, ſi moderata ſit, ſolita munia obire licebit, &

bit,& à morbis alijs magnis liberat, ob humorum quos abſumit vacuationem, cùm per aſſiduos rigores & vomitus, tum quòd calore pituitoſam diſtemperiem, quæ epilepſiam, ſeu ſpaſmum, & ſimiles morbos facit, corrigit atque emendat. 6. Epid. parte 6. com. 7. Non durat vltra annum (inquit Auicenna) niſi erratum ſit: quod acceptum eſt ex Hipp. 6. Epid. parte 6. verſus finem: Poſt defluuium (inquit) pilorum, quartana febris non vltra annum durat: quanquam perdurare eam duodecim annos addiderit Auicenna. Maria de Caual-los, per ſeptem annos quartana laborauit: famula principis ſororis Philippi regis Hiſp. Iohannæ nomine Catherina de Cauallos, eiuſdē ſoror, quinq; annos. Aëtius ex Hippocratis ſententia retulit, eundem hominem bis quartana non capi, ſi ſemel fiat ſanus; quia contingit iuxta propriam cuiuſq; hominis naturam in ætate vigoris, in qua corripi eſt neceſſe. Quam ſententiam pluribus aliâs reprehendi; quemadmodum ſoleo eos, qui aſſerunt, eundem hominem exanthematis bis non corripi, vulgus variolas & morbillos vocat. Quippe quibus cauſis ſemel accidit quartana, poterit & ſæpius obuenire; & licet inclinata ætas ſæpius redire nequeat, cætera tamen poſſunt, de quibus mox dicemus. Nec alia ratione de exanthematis diſputo: namque eis temporibus quibus abundat ſanguis, & conſtitutiones ipſorum ſunt calidæ & humidæ, ſolent illa potiſſimùm erumpere, cumq; ſæpius ille concurſus redire valeat, poterunt & ſæpius exanthemata euenire. Damnatur ſecundò huiuſmodi ſententia, quòd omnes homines neceſſariò quartana corripi dixerit, eos præſertim, quibus ad vigoris ætatem conceditur aſcendere: Plures enim inuenies homines, quibus nūquam obtigit quartana, ſicut nec lethargus, aſthma, pulmonis inflammatio, imò nec melancholia morbus, quæ mala declinanti ætati ſunt familiaria 3. Aphor. 30. Signa ſunt quartanæ, quòd alios morbos ſoleat ſequi, & abſceſſus aliorum morborum, ac proinde erraticas febres:
3. Progn. 27. Cùm primùm incipit, non ſolet cum rigore inuadere ob materiæ cruditatem, & lapideam ſubſtantiam incenſu difficilē;

adeſt

adeſt tamen in progreſſu rigor cum ſenſu perfrigerationis. Non eſt in ea illud cauma ſeu ardor, quem in tertiana ſentiri diximus, ob eandem prædictam cauſam: nõ eſt vomitus bilis ſed pituitæ, quoniam in his ſolet eſſe debilitas præ frigore, quo fit vt in ventriculo aceruetur pituita, quæ paroxyſmi tẽpore excernitur. Eſt præterea cum rigore ſenſus laſſitudinis oſſuariæ, ὀσ-όχοπον Græci vocant, quòd ad oſſa deferatur materia ſuo pondere fundum petens. Vrinæ variæ, aquoſæ, tenues, albæ in principio morbi; variæ quidem quòd à varijs oriatur quartana ſuccis, vel à feculento ſanguine vel bile vſta, iuxta Stephanum & Galenum, aut à pluribus alijs iuxta Auicennæ placita. Vrinæ iſtæ crudæ ſunt principio, docentq; ſpeciem morbi, quoniam lingua, lotium ſignificat, & vrina nota eſt ſuccorum qui ſunt in venis, principiumq; morbi indicat: ſi verò parum coctæ fuerint aſcenſum, quòd ſi ſubſidentiam habuerint albam, læuem & æqualem, vigorem oſtendunt, & vbi perfectionem coctionis obtinuerint, declinationem. Hæc Stephanus Athenienſis, quæ oſtendunt liquidò, quæ nos in commentationibus de criſibus, de temporum diſtinctione per coctionis ſigna abundè monſtrauimus. Pulſus & vrina febrium potiſſima ſunt ſigna vt tradidit Galenus 1. ad Glau. ca. 1. cùm igitur de vrinis patuerit iam, de pulſibus erit dicendum, ſuntq; in hac febre pulſus parui, tardi ac rari in inuaſionis principio, ob materiæ quæ mouetur frigiditatẽ, quæ moueri incipiens refrigerat, ac proinde motũ retardat, rarumq; efficit, paruum verò ob vſum diminutum & onus arteriæ. Reuocauit in dubium Galenus, an poſſit in febre inueniri pulſus paruus, rarus, & tardus, cùm calor auctus oppoſitos pulſus expoſcat, bifariamq; id poſſe accidere reſpondit, & in acceſſionibus tales fieri & magis quàm pro naturali habitu, & in reliquis febrium temporibus, quæ ob humorum cruditatem ſyncopen adferunt, 12. Method. Sed intelligendum eſt id de diaſtole, quo tempore nondum plenè incenſi ſunt humores, refrigerationemq; magis inuehunt quàm calorem: ſyſtole verò etiam in ipſa acceſſione eſt concitatior, ob fumo-

6. Epid. parte 5. tex. 14. Et 4. de Sanit. tuen.

3. de Præſag. expul. cap. 7.

rum expurgandorum vſum. Quamobrem libro de Typis, fingitur in tertiana diaſtoles parua & frequẽs, ſecũdùm verò externam quietẽ, quòd ad ſyſtolen feſtinet. Quocirca nõ aſſecutus hæc, ille enchiridio cuncta cõplectens nugatus eſt. In hac febre euidentius dicitur cognoſci illa pulſus inæqualitas, quæ velocius habet principium & finem quàm medium: fortaſſeq; id intelligendum de continuo diſpari ſub vnico digito, qui ex eo quòd facultas neceſſitate ſtimulata ocius incipit, ſiſti quodammodo in medio videtur, ac deinde quietis appetens finem motus accelerat. Sudor etiam in fine acceſſionum quartanam indicat, licet minor quàm in quotidiana, quòd craſſus viſcidusq; cum ſiccitate ſit humor. Pulſus verò quietis tempore adhuc inæqualis, qui communis eſt febribus omnibus, vt teſtatur Stephanus, ſed in hac tardior eſt & rarior naturali, ob frigidam diſpoſitionem manentẽ poſt vſtionem. Atque hæc ſigna ab his quæ interius accidunt, ſumuntur, & rebus præter naturam. Alia ſunt quæ à natura capiuntur ægrotantis, ſi declinantis fuerit ætatis, ſi frigidæ & ſiccæ naturæ. A rebus non ſecundùm naturam ex regione, & tempore autumnali, vſu ciborum ac potuum melãchymicorum, ſalitorũ, tam ex piſcibus quàm ex carnibus, caſeo, lentibus, vino nigro & craſſo, vigilia, mœſtitia, timore, ſuppreſſione hæmorrhoidum. Quæ ſi conuenerint omnia in ſignificando & generando vnicum humorem, eundemq; melanchymicum, exquiſita erit quartana. Lienis tumor præcedens præſagit quartanam, quòd ſit argumentum multam nigri humoris congeſtam eſſe copiam, quæ & liẽnem impleuerit & venas. Durat viginta quatuor horas, quę exacta eſt vt Auicenna ſenſit, & Galenus 1. ad Glauc. cap. 8. Impetus morborũ quartanorum & inordinatæ febres graſſantes, varios præſagiunt humores, qui putreſcentes, inordinatas febres efficiunt, à quibus manentes cineres, dum in vnicam formam redacti ſunt, quartanam efficiunt. Quod potiſſimùm arguit Galenus, ſi ſudores ſuperfluerint, quibus pars tenuior craſſis manentibus per ſudorem exhalat: alioqui ex omnibus diuturnis febribus idem naſceretur præſagium.

3. Prog. 27.

CAP. XXXI.

De Quartanæ curatione.

DIſtinguendum eſt principio, ſummaq; cum diligẽtia præuidẽdum, vtrum ex vſtione genita ſit febris, an ex fece ſanguinis. Si enim priori ratione nata ſit (quod ex ſignis prægreſſis agnoſces, quæ bilis dominium & cauſones, curas, exercitia, inediasq; ſignificent, ſitisq; adſit quartanæ inſolita, vomitus bilioſus, vrina flauior, temperamentum calidum & ſiccum, ætasq; iuuenilis) perinde curabitur ac legitima tertiana, auctoribus Auicenna & Tralliano. Nec vllum calidum antidotum exhibere præſtat, ſed frigido & humido victu contenti eſſe debemus, vti lactucis, cucurbitulis, intybis, cichorijs, ſpinachijs, melonibus, cucumeribus, piſciculis, aquæ potu, & balneis tepidis, in quibus ſedeant & abluantur, auctore Auicenna: ſed affuſione aquæ, quæ potius delectet, quàm fundat humores. Pro quibus, vt in tertiana coctionis ſpectarem notas, quanquam interdum coactus eiſdem vti non recuſarem: hanc enim præ cæteris ſibi vindicarunt licentiam bilioſi humores, vt docuit Trallian. atq; etiam Galenus 3. Acutorum, com. vltimo. Si hypochondria fomentis indigere videantur, poſt corporis vacuationem admouebis, hydræleon ſcilicet, quòd ea laxat, etiam aliquantulum tumefacta, aut decoctum ex chamæmalo, meliloto, abſynthio, & dactylis pinguibus. In hac porrò quartana ſedem putarem hepar, vti placuit Aëtio, quod noſces ex colore albicante, λευκοχρόῳ, id eſt, pallido albeſcenti, vti Hippocrati viſum eſt 2. Epid. parte 1. contex. 37. vbi ſic inquit: Quibus media inter abdomen & cutem pars inflata eſt, color qualis vehementer pallidus ac qui ad album vergit, id omne ex iecore proficiſcitur, atque in his ea de re iecorarias affectiones adeſſe oportet. Atqui arcuati ex iecinore in ſubalbum tendunt, aqua etiam intercute laborantes, & leucophlegmatici. Vrinæ valde rubræ, & ad contactum, dextrum

hypochondrium tumet, difficilius ſpirant quàm qui ex ſplene. Demum in omni morbo expendas oportet præceptum Auicennæ ſuo loco commẽdatum, præſertim in morbis diuturnis, ſcilicet vt obſeruetur ſplen & hepar, & regantur vt nõ indurentur ac intumeſcant, cum his quibus intrepidè in tertiana laborantibus vtereris. Somnum conciliat Trallianus, vbi torquet vigilia, ante paroxyſmum; quo ſe aut impediſſe acceſſionem, aut moderatiorem reddidiſſe ait, medicamento videlicet ex opio, cicuta & alterco. Tu largire ſeminis papaueris & fœniculi ana ʒj. dabisq; in aqua calida ʒ j. Quòd ſi quartana ex fece ſanguinis orta ſit, addemus nunc communia præcepta vtriq; generi, & deinde huic cauſæ peculiaria. In primis quartana leniter tractanda eſt, ita vt nec valde alterantibus, neque vacuantibus, nec nimia eſculentorũ potuumq; attenuatione ſit regendus æger: validè alterãtia ſunt diatrion pipereon, theriaca, ſuccus cyrenaicus, belzoinum vocant, ſalſamenta ex pipere, ſinapi, diacalamyntha, dioſpoliticon, ſeu diacyminon & ſimilia. Quæ omnia vituperat Auerrous lib. 7. cap. 9. quemadmodũ & Trallianus ſuo loco. Hæc enim multò magis in progreſſu conueniunt, apparente nimirum coctione, & vbi fex ſanguinis, aut cum pituita coniuncta redundauerit. Satis ergo erit inter initia ſyrupus ex borragine, bugloſſo, lupulorum, violarum cum decocto tamariſci, & radicum borraginis, aqua mellis, ſyrupus adiathi, ſerum cum herbis calidis extractum, non cum aceto vt in tertiana, ſyrupus ex pomis odoratis, cum aqua borraginis, aut meliſſæ, aut florum altheæ, aut ſeminis maluarum. In proceſſu verò vbi fluidos eſſe humores perciperem, non dubitarem exhibere ſyrupum de epithymo, & alios quos tibi poteris concinnare. Vacuatio non eſt duriter facienda per ſanguinis miſſionem, niſi ſanguinem redundare cognouerimus: tunc ſi hepar mali cauſa eſſe iudicetur, ex baſilica dextra; ſi verò ſplen, ex ſiniſtra ſanguinem mitterem, ſeruata perpetuò rectitudine. Cognoſcemus autem ab ſplene ortum duxiſſe (diximus enim de hepate) ex nigriori calore, iuxta Hippocratis ſententiam 2.

Epid.

Epid. parte 1. contex. 38. vbi in hunc modũ ſcripſit: ὅιδε ἀπὸ σπληνὸς μελάντεροι, καὶ ὑδρωπες, καὶ ἴκτεροι, id eſt, qui verò à ſplene nigriores, & hydropes & icteri. Cognoſces etiam ex ſplenis tumore, dolore, & quod ad ſiniſtram magis inclinat. Extrahendus eſt ſanguis liberalius, ſi craſſus nigerque prodierit rupta venâ; ſin minus, ſtatim ſupprimendus, ex Gal. ſententia 3. de locis patien. & 1. ad Glau. Oribaſij etiam, Aëtij, Pauli & Auicennæ. Quod præceptum in omnibus morbis melãchymicis eſt obſeruandum, niſi fortè tonſoris culpa id contigerit, qui aut parum aperuit venam, aut minus benè. Non obliuiſcaris poſt coctionem etiam, vbi cocti ſunt euidenter humores, eandem venæ ſectionem repetere, ex ſiniſtræ manus vena inter minimum & annularem: dixi poſt coctionem, quòd tunc confuſi ſunt humores tenues & craſſi; antea enim, hac fortaſſe cauſa non educuntur, vbi tenues exeunt, quòd nondum ſint miſti, craſſiq; ſuo pondere reſideãt. Purgationem inter initia præcedenti victu humido, per aliquot dies faceret (vt arbitror) Trallianus qui ita inquit: In craſſioribus ſiccioribusq; humoribus humectare oportet, & diſſoluere, nec diutius expectanda diſſolutio eſt, ſed protinus ad ipſorum purgationem properandum: & ſi res adhuc poſtulauerit, rurſus humectando, tum balneis, tum victu, ſubducere conuenit. Diſſolutos tunc putat eſſe humores Trallian. quãdo antea immoti, moueri incipiunt, vel ad os, vel ad aluum, vel articulos, vel ad cutem per ſudores, quo tempore feſtinandum eſſe ad vacuationem vult. Auicenna verò: Et ſi oportet (inquit) euacuetur in principio de humore faciente febrem aliquid propter alleuiationem, non propter mundificationem, nam hoc fit apud coctionem; ſintq; mollificantia abſque fortitudine, & ſit per diem poſt paroxyſmum; quòd ſi quando contigerit, inſinuat, vt dato forti pharmaco quartana tollatur, iudicium eſt ex errore correctum. Si quartana fuerit bilioſa, dentur in melle roſaceo, violæ & myrobalani; & ſi eſt phlegmatica, miſceatur turpetum, ſeu alypias; & ſi eſt melanchymica, virtus polypodij aut epithymi; aut hæc prędicta pro-

cta propinentur in ſero, quod eſt optimum vehiculum prædictorum. Dabimus deinde operam quotidie, ne aluus adſtricta ſit, vſu ciborum cõſuetorum emollientium ventrem, cuiuſmodi ſunt beta, mercurialis, lactuca, maluæ, prunæ cum ſaccharo coctæ: quæ ſi nihil profecerint, medicamẽtarijs clyſteribus vtemur, mollientibus primùm ex hydræleo & melle, aut decocto maluarum & betæ cum oleo, qui feces emolliant; deinde acutioribus ex polypodio, cartamo & ſimilibus, quibus inteſtina ſtimulantur. Quòd ad cibum attinet, non ſit nimia ſubtiliatio regiminis, vt ait Auicenna, ſed moderatus ſit cibus, quantus vires ſeruare ſufficiat quales acceperis; ſed non in die paroxyſmi, niſi bilioſa ſit natura. Alimenta ſint modicè calfacientia & humectantia; abſtineant frigidis & ſiccis; ita enim legit Paulus, quanquam Trallianus & Aëtius à frigidis & humidis legerint, quomodo & nunc habet Galeni codex Venetus, quem Stephanus ſic tuetur, vt legatur cõiunctim, ſint ſcilicet vitanda edulia frigida & humida: nam ſi tantùm humida ſint, modico calore conueniunt maximè, quoniam cauſa frigida eſt & ſicca, medicatio autem omnis ſuo contrario perficitur. Quare ex vſu erunt domeſticæ gallinæ, & ex campeſtribus iuniores, paſſerculi turricolæ, hœdinæq; carnes, agninæ etiam videntur vtiles, vt veruecinæ, columbarum pulli, oua ſorbilia, piſces mollis carnis & friabiles, vt ſunt barbi Henarij, truttæ, ranæ, & piſces cum ſalſamento calido, & ſimiles. Viſcoſæ carnes, piſcesq; cum ſale, & terrena prædita natura, vitanda ſunt prorſus, vt caſeus, lentes, oryza, thynnus, & volucres paluſtres, anates, & aues frigidæ vocatæ, grues, auis tarda, cuniculus maior, lepus, oliuę (quanquam de illis dixerat Aëtius nec eſſe laudandas nec vituperandas) ſatis enim referunt naturam melanchymicam, ſubſtãtia, colore & ſapore, ſicuti cappares, quæ ad nos perueniunt cortice craſſiſſimo & duro ſatis. Vinum non prohibuit Gal. neque Paulus album & tenue, moderatè calidũ, cuiuſmodi eſt quod in oppidis iuxta Complutum & Madritum commorantibus potatur: nigrum namque melanchymicum eſt; & albũ Hie-

pinum

pinum aut ſancti Martini nimia ſua caliditate & ſiccitate humores deſiccat plus iuſto. Salſamenta, ſinapi & diatrion-pipereonem, largitur Galenus: fortaſſe vt laboranti gratuletur, iuxta illud Hipp. præceptum, Gratulandum eſt ægrotis, dummodo non valde noceas & noxa inemendabili. Nam cùm illa ſiccent, non conducunt, niſi vt blandiaris appetenti, illaq; maximè requirenti. Sed conſultore Tralliano, vbi ſemel illa conceſſeris, mox ad debitum victum reuertere. Dabis ergo hydrogaron, vel ex ſinapi condîtum, aut ſimile, garum ipſum, & piſcium conditorum ius; licebitq; iſta corrigere, quò lædant minus, vt ſi quis piper edat ex aqua, retundet calorem & ſiccitatem. Quamobrem Stephanus ea dari annuit, vt medicamenta attenuantia, non vt cibos, idq; per interualla, potiſſimùm (adde) vbi fex eſt melanchymica; & poſt coctionem vtilius. Nec verò admodum vitupero piperis grana tria aut quatuor, ſiue albi ſiue nigri in aqua, cinnamomi ʒ. j. aut ſemiſſem in ouo ſorbili, gariophyllorum numero quatuor aut quinque, Zinziberis fruſtum paruum: huiuſmodi enim miſtiones, refractas vires ferunt calfacientium & ſiccantium medicamentorum, vt monuit Auerrous. Auenzoar tria nuclea perſicorum per decem dies cum aqua calida prodeſſe narrat. Vacuato corpore, frictionibus mollibus vtemur, quæ calfaciant nec moueant humores, ambulationibus, ob eandem cauſam, quibus maximè eſſe vtendum in morbis lõgis monſtrat experientia; & quia calorem excitãt naturalem, & ob robur quod membris præſtant, & alacritatem quam laborantibus oſtendunt. A lauacris non arcet Galenus conſuetis, ſed in principio melius eſſe dicit ſi abſtineant, quoniã ante coctionem fundunt humores & tenues euacuant: ſatisq; eſſet affuſio calidæ aut ablutio ex mappis madidis in aqua tepida, eaq; totius corporis. Conſueta exercitia obeant in diebus quietis, ſi violenta non fuerit quartana. Interim prouidere oportet hypochondrijs, etiã ante vigorẽ, vacuato corpore; ne indureſcant, fomentis (inquam) placidis ex chamæmalo, meliloto, abſynthio, aut oleo ex his. Poſt vigorem tamen facta vacua-

6. Epid. parte 4. tex. 8.

post bacuationẽ

Tralliani præceptum.

Hypoc 3 ſect

vacuatione integra totius corporis, licebit fortioribus agere, tam foris quàm intus. Accedente vigore (qui ex vrinæ ſedi-
1. ad Glauc. mento albo læui æquabiliq; cognoſcetur) tenuiſſimus cibus omnium, qui per totum morbum offeruntur, eſt porrigendus: nec enim licet ſimpliciter tenuiſſimo in morbo diuturno vti, ſed ſemper moderato in longis. Iuuabimus vnctioni-
1. Aphor. 4. bus, frictionibus, coctione & quiete, vt maximis præſidijs. Deinde purgabimus ſtrenuè laborantem non ſemel, neque confertim, ſed ſæpius. quod nobis iuſſit Gal. Oriba. Aëtius, Paulus, ſed Trallianus lib. 12. nunquam non inculcat nobis, humores craſſos non eſſe vacuandos ſemel, ſed pluries. Quare non debet vituperari eorum conſuetudo, qui quarto aut quinto quoque die, aut alio dierum interuallo, binas aut ternas porrigunt pillulas, aut ſyrupi ex epithymo ʒ. iij. aut iiij. Dabimus ergo aut polypodium, aut epithymum, aut ex his & agarico vel turpeto, & cum aliquanto ſcammonij concinnabimus pillulas: aut electuarium Hamech, aut diaſenæ, aut pillulas indas, fœtidas, aut lapidis lazuli, aut armenij. Soleo ego vti helleboro nigro (licet abominetur Auerrous 7. coll. cap. 9.) cũ puluere hieræ ſimplicis Galeni, in hũc modũ, Hellebori nigri & pulueris hieræ ana ʒ. ß. forma pillulas quinque, aut ſi mitius vis agere, ana ℈ j. & forma tres. Sunt etiam & hæ optimæ quæ hoc modo componuntur. Recipe aloes ℈ iiij. epithymi ℈ iij. agarici ℈ j. lapidis armeni ℈ j. gariophy. gra. v. ſcammonij ℈ v. forma pillulas cum ſucco citri, & da ℈ ij. Has etiam laudat Trallianus. ℞. aloes, epithymij ana ʒ ij. ſucci abſynthij ʒ iiij. maſtices ʒ iij. medullæ colocynthidis ʒ. j. forma. Illud autem moneo, ne viſa coctione, purgationem procraſtinemus, quoniam monitore Tralliano, craſſi humores recoquẽtur, & præ craſſitudine expulſioni fient ineptiſſimi: idq; inſinuauit Galenus, quãdo poſt coctionem iugiter eſſe trudendos atros humores ſatagit vomitu, ſi fieri poteſt; ſin minus, per inferna. Vomitus laudatur maximè omni morbi tempore, ante & poſt paroxyſmum: quoniam ante pa-
Auicenna. roxyſmum aut eradicat ipſum, aut leuiorẽ reddit: fiet autem decocto

decocto ſeminis raphanorũ, aneti, & ſimilium in aqua mellis, aut helleboro albo in radicula (vide Aëtium) aut agarico, cuius natura eſt ventriculum ſubuertere. Allium cum melle, aut porrum præmanſum, aut ſinapi cum melle, deinde potio aquæ mulſæ, aut oxymelitis larga, ciet vomitum præſtantiſſimè. Hic ergo tempore ſtatus ſit violentior, & ſi nihil ſucceſſerit, deorſum fiet vacuatio. Poſt purgationem medicamentis his quæ validè cieant vrinas vtemur, cuiuſmodi ſunt ſyrupus hyſopi, glycyrhizæ, quinque radicum, oxymeli, theriaca, quæ digerat manentes ſuccos & attenuet, roboretq; partium calorem. Poſt coctionem belzoinum, quod ſuccus Cyrenaicus dicitur cum myrrha & pipere conueniẽtiſſimè datur, aut tabellarum inſtar, aut catapotiorum; ante coctionem verò ab Auerroo reprobatur 7. colli. quoniam cauſonem facit. Plura alia inuenies apud Trallianũ & Aëtium. Ego ſanè cinnamomi, piperis, gariophyllorum maiorem quantitatem largior libentius, ex illisq; aut pulueris pondo ʒ j. aut tabellam aut ſimile aliquid formo. Ad idem valet ameos, aniſi, carui añ. in melle: aut piperis, caſiæ & calamenti, añ. in melle roſaceo. Sed caue ne calidis & ſiccis naturis huiuſmodi tribuas medicamenta; magis enim conducunt frigidis & humidis, ſenibus, tempore frigido & humido. Antiquum etiã eſſe ſcio iracundiam concitare, ſimiliter & calorem, aut euaginato enſe, vt Razius ſuo loco notauit, aut inopinata ſerpentis oblatione, potione præcalida, aut exercitatione, aut lauacris calidis, qua die inſtat acceſſio; quò maior ignis excitatus minorem extinguat, ſicut magnus ignis lucernæ flammulam diſſipat, ſic ait Ariſtoteles de quartana. De purgatione diſputatur an eodem acceſſionis die ſit facienda, quoniam Conciliatori, Apponenſi, alijsq; viſum eſt craſſos humores & motu difficiles, in die quo ſponte mouentur pharmaco fore deturbandos: & quia de elleboro agens Aëtius, ipſum in die acceſſionis propinat, & parum ante ipſam. Sed ſi Galenum Auicennamq; euolueris (vt lib. de purgatione oſtendimus) per inferna in die paroxyſmi non eſt mouendus humor; bene tamen

Ex Hipp. lib. 2. de morbis, & ex Aëtio ſuo loco.

exactio. c. 8

Trallia.

32. Continẽ.

Ariſt. 1. proble. 58.

men per ſuperiora; quoniam per vomitum ſolet eo tempore ſponte natura moueri, non autem per inferna. Proinde ne in diuerſa trahãtur ſucci, hoc eſt, intrò ad venas, & extrà ad cutim, non eſt putgandum corpus deorſum, niſi id ſponte fecerit natura; tunc enim cognita naturæ inclinatione, nihil vetaret eius motum iuuare. Aëtius autem de humoribus vomitu educendis agebat. Aquæ frigidæ potu duarum heminarum menſura quoſdam liberaſſe ab inuaſione & rigore refert idem Aëtius, manifeſtiſſima apparenti coctione, vbi nihil prohibeat dari eam: quod de quartanis ex bile natis puto veriſſimum. Ex piperis albi & dauci ſemine aña, dabat cochlearium ante acceſſionem in aqua calida, & iuuit pleroſq; quartana laborantes Trallianus: hæcq; per longa interualla, præſertim in his quibus eſt ſuſpecta pituita, & tutius viſa coctione.

CAP. XXXII.

De quotidianæ dignotione.

1. Epid. parte 3. cont. 7.

AMphimerina exquiſita 18. horis concluditur: moueturq; aut diu, & vocatur diurna; aut noctu, & dicitur nocturna: illaq; reputatur deterior, tũ quòd quo tempore à calore ambientis erat diſſipanda, conſtringitur acceſſione corpus, & perinde cauſa non minuitur, tum etiam quoniam quo tempore dormiendum erat, cibis & reliquis medicinalibus diſpenſationibus diſtrahitur. A rebus præter naturã cognoſcitur quotidiana, calore mordaci quidem, ſed non primo attactu, imo manu immoranti, ob ſucci craſſiciem, & qui vix accendi queat, donec manu attenuetur & conſuetudine. Adeſt humiditas quædam ob humidiſſimi humoris naturam: calor non magnus, nec multũ adurens, ac veluti per cribrum exiens: inæquale incremẽtum ac longum, ob materiam incenſu difficilem: ſudores nunquam
2. de Diff. b. purum reliquunt interuallum, vt de remiſſione dubitet Galenus, licet tandem quietem admittat, quò ad ſenſum pertinet. Pul-

net. Pulſus eſt paruus, imò quartanæ pulſibus minor, nã cùm pituitæ ſit copia redundantior, frigida & humida qualitate prædita, arteriam grauans, pulſum facit paruum. Hinc fit vt rarus ſit quotidianæ pulſus, vt Trallianus dixit, ſed frequẽtior quartanarum: nam cùm magis ſatisfaciat per magnitudinẽ, non indiguit tanta crebritate, quanta quotidiana, quæ minorem facit pulſum. Non infert ſitim, aut minimam, in tertiana enim maxima eſt, minor in quartana, minima verò in pituitoſa: demum pituitoſi aderunt vomitus excrementaque eiuſmodi quacunque ſeceſſerint, apparebunt: quin & vrina alba mingetur, tametſi nonnunquam ſubrubra videatur, ſed tunc maximè, quando crudi ſucci in ſanguinem commutantur, color totius corporis ſubalbidus & pituitam referens. Quòd ſi res non naturales, & quæ naturam laborantis conſtituunt ad pituitoſam inclinauerint diſtemperiem, nihil eſt quod ſpectes ad exactam febris amphimerinæ dignotionem.

CAP. XXXIII.

De curatione quotidianæ.

CVrabitur hæc febris, inter initia quidem ſanguinis eductione, ſi ſcopi quos ſæpius ad eam exercendam conſiderauimus, adfuerint: demeturq; quantum repletioni conuenire coniectaueris, & virium robori atque alijs coindicantibus. Deinceps quandoquidem, præcopia humorum à quibus vt plurimum pendet pituitoſa febris, periculoſus eſt morbus, non erit ab re, facta aliqua præparatione oxymelite aut ſimili alio ſyrupo, ſi cũ Auicẽna humores purganti medicamento minuerimus in ipſo morbi principio, abſque coctionis ſpectatione: quod Auerrous ſuo loco comprobauit. Quid enim ſtultius eſſe poterit, quàm vbi conſpexeris multis humoribus premi vires & inæquales appareant pulſus (quæ nota maximè omnium redarguere grauatam facultatem dicta eſt alibi) diutius velle differre curationem, & periclitãtibus viribus dare verba, donec oneri ſuc-

7. a. c. 13.

cumbentes concidant,& citra debitum auxilium penitus intereant? Cùm ergo periculoſum morbum amphimerinam pronunciauerit Galenus,illi ſuccurrendum eſſe maturè viſus eſt cõſulere,vt qui in infinitis propemodum locis,ad id quod vrget & necis interminatur periculum, vniuerſum cõſilium dirigendum eſſe conſcripſerit. Cætera verò expectanda eſt coctio ad purgationem exercendam;quam interim dum opperimur, oportet humores incindere,ſemitas reſerare,ſecretaq; quadam vacuatione aut per halitum aut vrinas, aut per aliam quamcunq; regionem diminuere. Hæc enim quæ paulatim fit humorum minutio, quam per ſyrupos quotidie cõminiſcimur,à nemine,quod ſciam,fuit prohibita. Fiet autem hoc oxymelite, quo vti expedit in ipſis primis diebus : ſic enim legendum puto 2. ad Glauconem, κατὰ τὰς πρώτας ἡμέρας, hoc eſt,in ipſis primis morbi diebus,non vt alij legunt codices μετὰ τὰς πρώτας ἡμέρας, id eſt,poſt primos dies: aut ſi mauis vtere acetoſo vocato propotiſmate, præſertim ſi ardor febris temperatiores ſyrupos poſtulauerit. Vtere etiam ſyrupo ex capillo Veneris,aut aqua mellis,quæ ad ſcindẽdos craſſos humores à Galeno maximè eſt commendata. Cum his potionibus miſcere poteris aut capilli Veneris, aut bugloſſi, aut intybi & fœniculi decoctum,aut glycyrhizæ,aut eupatorij, aut filicis: niſi quòd huius poſtremi vſus in grauidis creditur eſſe ſuſpectus. In progreſſu verò validiores potiones exhibebis, cuiuſmodi exiſtit ex duabus radicibus cum aceto & abſque aceto. & quoniam videas paſſim tædio affici laborantes,præſertim eos,quos plurimis diebus morbus afflixit,mutanda eſt ratio interdum & vtendi modus ſyruporum, atque eorum remediorum, quibus propoſitos ſcopos aſſequi ſemper eſt ſtudendum. Idcirco ſoleo crebrius per aliquot dies aut ſolis decoctis herbarum minus ingratarum vti, vt decocto radicum apij & cicerum,aut liquiritiæ,& capilli Veneris, aut origani, porrigens illis prius ſacchari pondo ℥ ij. aut ſemina ſaccharo contecta,vt ſemen aniſi,carui aut coriãni; aut ſi hæc minùs arrident,vtor diarhodone Abbatis,aut diacimino,

primo Acutorum.

no, aut aromatico roſaceo, pondo ſemunciæ, ob cauſas quas libro de ratione permiſcendi medicamenta obiter perſtrinximus. Quòd ſi adhuc ægris gratulari amplius cogeris, eſto contentus iure pullorum, in quo aut cicer aut apium, aut borrago, aut eringium ſit decoctum prima menſa exhibito; vel minutali ex herbis diſſecantibus concinnato, cuiuſmodi erit quod ex apio, meliſſa, mentha, & borragine comparatur, addito aceti modico, & ſale, & oleo. Memento interim aluum ſubducere aqua mellis & ſale, aut decocto betæ, aut mercurialium cum melle & ſale. Nec pudeat aliquando ſi procraſtinari ſenſeris coctionem ſuccorum, periculumq; adhuc ſubeſſe an æger durare valeat, donec morbus coquatur, duas pillulas exhibere ex agarico, aut hiera ſimplici & agarico: quòd hoc pharmacum ſua parua quantitate, haud quaquam interturbet coctionem, ſicut nec ſyruporum vſus, qui (vt diximus) ſenſim humores diminuunt: & ſicut illi adaperiunt vias, & ſecant ſuccos, multò efficacius id præſtant hæc pharmaca debilia. Teſtor experientiam meam, qua ſæpius ſum aſſecutus, hac diligentia fieri, vt qui antea crudi prorſus videbantur ſucci, præter omnem opinionem ſequenti die cocti viderentur. Danda eſt præterea opera, vt ventriculus (qui pituitæ creditur eſſe torcular) roboretur; roboretur etiam iecur & reliquæ alimenti officinæ: has etenim in morbis ex pituita confeſtim languore affici conſpicimus, ac deinde vniuerſam corporis molem intumeſcere, & cachexia laborare, ac extremorum tumore. Fiet id ſi prædictis ſeminibus, conditis, tabellis, decoctis etiam iuxta prædictum ſcopum diligentius multo vtentes, mutationes in peius aut melius factas vigilantiſſimè contemplemur: vt ſi præ frigiditate interituras vires olfecerimus, valentiora præſidia accuratius capeſſamus, cuiuſmodi exiſtit trochiſcus ex aniſo, amygdalis & abſynthio apud Gal. compoſitus, ex abſynthio, eupatorio & capparibus, & ex rhabarbaro apud diuinum Meſuem. Facta coctione, quam remedijs præſcriptis procurabimus, & frictionibus lenibus, & 4. de Sanit. tuen.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA

vnctionibus, vacuandi ſunt humores mediocri purgatione, nequaquam ea, quę funditus eos extirpet vt voluit Auicẽna. Hoc etenim præceptum ſuo loco nobis iniunxit Trallianus citra tranſgreſſionem obſeruandum, ne craſſos aut viſcidos humores, confertim vnquam vacuemus, ἀλλὰ κατὰ μέρος, id eſt repetita vacuatione. Quemadmodum enim duriſſimus lapis, & lutum deletu pertinaciſſimum, vix vnico ictu excauari poteſt, aut ab eo cui hæſit pariete corradi; eadem ratione nec humores præ craſſitie & glutine vix mobiles: hæc nãque omnia fœlicius obtemperare conſueuerunt, ſi paulatim & pluribus ictibus aut lapidem effodere, aut lutum detergere, aut humores craſſos & lentos vacuare ſtuduerimus. Si qua deinde manet ſordes, cientibus vrinam, ſudoremq; efficacius ac antea extat amouenda: ſyrupo ſcilicet ex quinque radicibus, ex hyſopo, oxymelite, ex duabus radicibus, præfatis trochiſcis, decoctis etiam herbarum maiori vi præditarum. Huius generis erit apij decoctum, origani & pulegij: cinnamomi & anethi: eupatorij & calaminthæ: radicum aſparagi & fœniculi: liquiritiæ & erythrodani (rubiam vocant) mẽthæ & aniſi: betonicę & ſtœchados. Ac vbi pertimeſco in horas aceruari pituitam in ventriculo ac inteſtinis, ſinapis cochlearium in mellis roſacei ʒ ij. ſingulis quibuſq; auroris exhibeo; deterget enim mirificè ſinapi pituitam, auctore Auicenna, & experientia docente. Iam verò puluis ille ex agarici & zinziberis ana ʒ j. & ad portionem ex cinnamomi & agarici, aut turpeti & cinnamomi ana ʒ j. cuius tertio quoque die ʒ j. porrigatur in oxymelite aut melle roſaceo: nõ poteſt non eſſe valde proficuus in morante morbo pituitoſo. Is enim coquit humores, per vrinam & aluum pellit, ac nõ ſinit vt morata diutiſſimè febricula in hecticam diſtemperiem corpus furtim perducat. Diacurcumæ vſum laudo, aut dialaccæ, & pillularum ex hiera ſimplici Galeni cum agarico. Tranſactis aliquot diebus remiſſa præſertim febre, laborantem geſtationibus, equitationibus, ambulationibus exerceri vehementer adhortor; qua vna re nihil inueni præſtantius ad tollendum

haſce

haſce febriculas, quæ diutius morantur. Quod quidem bis ac ter experta eſt fœliciſſimè dux illuſtriſſima de Frias, mihi maximè propitia & protectrix: quæ cùm aliquot menſes duplici tertiana, pariter ac cõtinua febre laboraſſet, potione origani perquàm calida acceſſionis hora epota, rigorem fugauit. Quo ſanè ſummoto, largitione per interualla facta tabellarum ex cnici ſemine & ſaccharo, cum tertia parte cinnamomi, ac nonnunquam ſcammonij granis duobus aut tribus additis, curaui ſtudioſiſſimè vt lectica geſtaretur intra domum & foras ad hortos vſque, quos habet Berlange plurimos, in falcato illo ſinu ſeu angiportu ab ipſis vocato. De pharmacis vſurpandis in hac febre, non erat opus denuo pertractare, cùm pro pituitoſis ſuccis laudauerim diaphœnicon is ℥ ß. in aquæ fœniculi, aut aquæ mellis ℥ v. aut electuarium Indum minus, aut pillulas ex agarico, aut ſine quibus, aut diacarthamum. Cætera verò, quæ de cibis ac potibus, motu, ſomno, vacuatione, domicilio dici poterunt, ſatis (vt reor) erunt peruia his, qui, quæ de febrium curatione, atque aliorum morborum extant exarata, præſertim quæ capite de curatione putridarum in generali ſcripta ſunt, attentius paulò perlegerunt. Illud porrò cum Auicenna moneo, ne in morbis pituitæ cauſam referentibus acceptam, caſiæ nigræ, aut mannæ, aut prunorum aut conſimilium potiones vſurpes vnquàm: nam cùm præ humectatione, quæ in hoc morbo eſt peculiaris, viſcera parum firma ſint, fugienda ſunt protinus quæ humectant, & ideò debilitant, eligendaque potius quæ ſiccant & roborant. Quamobrem nimius ille vſus caſiæ nigræ aut mannæ, quibus ſtatim in ipſo limine morborum & pharmacorum, medentium turba vulgò ſolet ſuas ſchedulas, & medicinales ſyngraphas replere, vituperandus eſt omnino; vtpote qui, neque cum traditionibus principis barbarorum medicorum vlla ex parte conueniat, ſed potius è directo repugnet, vti ex eodem proprio loco conſtabit.

CAP.

CAP. XXXIIII.

De febribus continuis.

COntinua febris Græcè συνεχὴς, bifariam explicatur apud Galenum, quanquam ipſa ſuam per ſe obtineat explicationem, quæ nunquá relinquere ægrotantem dicitur, donec ex toto ſoluatur; ſic ille 2. de Criſibus cap. 6. quem Paulus, Oribaſius, Trallianus & Aëtius ſequuntur. Hæc ſi ſenſibiles habeat remiſſiones, certo quodam ordine redeuntes, continuæ nomen genericum retinet, eſtq; eiuſdem generis cum intermittentium aliqua, continua ſcilicet repetens per tertium, Græcè τριταιοφυὴς cum tertiana exquiſita; & continua quotidiana, Græcè ἀμφημερινοφυὴς cum quotidiana; continua verò quartana, Græcè τεταρταιοφυὴς cum quartana, ſolo loco differentes, materia morbifica communicantes. In continuis porrò humor intra vaſa manet putreſcens, ac proinde non facit rigorem, horrorem aut frigus, quando eſt exquiſita, 2. de differen. febrium cap. 8. & 1. ad Glau. cap. 5. Hoc vnum adijciam, quod fortaſſe admirationem inducet, fieri aliquando vt febris aliqua ſæpius relinquat ac redeat, ſine aliqua acceſſionis nota, frigore (ſcilicet) rigore aut horrore: quod inuenies in Pario apud Hipp. de quo ſcriptum eſt, quarto à febre liberum euaſiſſe, rurſum aliquantulum febricitaſſe, idq; ſemper inconſtanter modò à febre liber, modò non: nam ſi quando intermitteret, eſſetq; leuior, repetijt: ferculis etiam multis vitioſisq; vtebatur. Conueniunt omnes continuæ febres in hoc, quòd ob quantitatem nimiam humorum, aut craſſiciem, vel viſcum non poſſunt extra vaſa humores tranſmitti; atque inde fiunt febres continuæ. Creſcunt, ex Arabum ſententia, quòd humores pellantur à maioribus vaſis ad minora, ibiq; ob maiorem cõculcationem maior fit putredo. Ego verò exiſtimarem potius intenſiones eas fieri, quòd minora vaſa maioribus mittant, in quibus cùm maior ſit calor, maior accidit putredo, ita vt plus faciat loci calor quàm anguſtia. Sed re vera omnes huiuſmo-

3. Epid. parte 3. contex. 73.

huiuſmodi circuitus non ſolùm fiunt, quòd mittãtur humores, ſed & quòd trahantur, aut generentur, aut ſuſcipiantur. Quare vaſa minora citra vllũ immiſſum, nouam materiã accendere queunt, aut aliunde trahere. Fernelius ergo, qui perpetuum eſſe vult à meſentereo, pancreate, inteſtinis, omento, & partibus circum viſcera ſitis per conſenſum fieri rigorem, citra lationem humorum ad habitum corporis: licet aliquando verax ſit, nõ proinde tradita nunc ratio à vero diſcedit. Alio modo eſt continua, quæ nullam habet per periodos ſenſibilem remiſſionem; vocaturq́; ſynochos, ſeu continens Latinis, primo Epid. parte 3. con. 2. & 9. Method. quibus locis hanc peculiarem, quæ ſine periodico reditu continenter mouetur, σύνοχον Græcis, Latinis continentem vult appellãdam Galenus, tametſi ſolœciſmus committatur: committitur autem, quoniam cùm deriuetur ἀπὸ τοῦ συνέχω, dicẽdumq́; eſſet σύνεχος, ε in ο mutata, ſynochon prudenter impoſuerunt. Quare crebrius deerrare comperias interpretes, qui hoc diſcrimen nihil curantes, Galeni exactiſſimam diligentiam erga nominum diſtinctionem turpiter admodum obſcurant. Multam præterea ſecum adfert flammam, pulſus maximos, celerrimos, & crebros. primo de diffe. feb. cap. 9. & 9. Meth. cap. 3. Quare Latica dicta febris Barbaris, quæ phlegmatica eſt continua, licet non habeat remiſſiones (quod reputo difficile) non erit dicenda ſynochos, quòd parua ſit & lenta febris. Suſcipit autem huiuſmodi febris continens tres mutationes; nam aut ſemper increſcit, & vocatur ἀκμαστικὸς, aut ſemper decreſcit, & vocatur παρακμαστικὸς, aut vnicum perpetuò ſeruat tenorem, & dicitur ὁμότονος: fiuntq́; quòd plus accenditur, quàm reſoluatur, aut contra, aut æqualis perſeueret accẽſio reſolutioni. Cauſon ſeu ardens febris (vt ego ſentio) conditio eſt febris, non nouum per ſe genus: nam & tertiana continua dicitur cauſon, ipſius etiam tertianæ exquiſitæ paroxyſmus, pariter etiam & ſynochi; quãdo eo vſque exarſerunt vt ſitim inextinguibilem, eximium ardorem, & linguæ ariditatem efficiãt; quæ cauſonis ſunt pathognomonica

2. de diff. feb. cap. vltimo.

farneliſ.

ſynochos

Declaratur Gal. 9. Method. principio.

triplex

ad cauſon.

ſigna. Reliqua verò ſigna, quæ Hipp. 4. Acutorum, com. 4. & 13. accumulauit, aſſidentia dicuntur Galeno, alui (ſcilicet) deiectio bilioſa, ſcabra nigraque lingua, delirium & cætera. Hoc idem confirmat Galenus 3. Epid. parte 3. com. 35. vbi illa duo ſigna poſcit pathognomonica, quæ (vt ego experior aſſiduè) accidunt crebro in progreſſu febrium, quamuis in principio non acceſſerint: vt hinc liquidò conſtet, non eſſe genus febrium ab alijs diſtinctum, ſed febris tantùm conditionem: ſicut carbunculus non eſt genus ab inflammatione diſtinctũ, ſed augeſcens inflammatio. Quare Fuchſij & Aëtij ſententia, quæ tertianam continuam per tertium repetentem exquiſitum eſſe cauſonem arbitratur, fatua mihi viſa eſt, cùm conſtet ſynochos eſſe ardentes genere, ſola acutie differentes 2. de Criſ. cap. 6. Morbus enim quo maior eſt & velociori motu cietur, cenſeri debet acutior, ſed ſynochus maiori & velociori motu mouetur, quia aſſiduè magno; tertiana verò exquiſita ſuas habet remiſſiones: ergo minus acuta quàm ſynochus. Quare falſa eſt etiam illius ſententia qui dictionem illam ὀξύτητα acriorem vertit: cùm conſtet apud Galenum ſæpius ſanguineas febres eſſe mitiores, qui vbi vult mordaciorem calorem ſignificare διαπνώδη θερμασίαν καὶ διαβιβρώσκουσαν vocat 1. de differen. feb. cap. 7. alibi etiam δριμεῖαν, καὶ ἀνιαρὰν ceu maximum febrium putridarum ſignum, nunquam ὀξύτητα.

CAP. XXXV.

De febrium continuarum indicijs.

DE notis febrium continuarum ſimpliciter non eſt opus denuo tractemus, cùm eiuſdem generis ſint cum intermittentibus: ſolùm dicemus ea, quibus poſſint ab illis ſeparari, ſuntque potiſſimum tria indicia. Si à rigore non incipiant aut frigore. Si non habeant interuallum vllum. Si non terminentur cum ſudore. Adiecit Galenus 1. ad Glauc. cap. 8. Si vltra viginti quatuor horas febris prorogatur. Nam cùm de ſimplicibus

cibus exquisitisq; agamus febribus, hæ autem si sunt intermittentes, maximum seu longissimum habeant suæ accessionis tempus viginti quatuor horas, quod debetur quartanę, 18. quotidianæ, 12 tertianæ, rectè collegit esse continuam quę amplius durat quàm 24. horas. Si tamen non de exquisitis agas, plures sunt nothæ tertianæ, quæ vltra triginta horas extenduntur.

CAP. XXXVI.

De curatione continuarum.

CVrantur istiusmodi febres quemadmodum intermittentes sui generis, nec auctores seorsum de earum curatione vllam fecere mentionem, nisi quòd diligentius, maioriq; cum festinatione quid faciendum sit, medici curam habere debent, iuxta Tralliani præceptum: τοῦς συνεχεῖς πυρετοὺς ἰᾶσθαι δεῖ μετὰ τῆς πολλῆς ἀκριβείας ἠ ταχέως πράττειν, ὅπερ ἂν ἡ διάγνωσις ἐπαγορεύει, ἤτε φλεβοτομίαν ἤτε κάθαρσιν, μέγιστον γὰρ κακὸν ἐν τοῖς νόσοις ἡ ἀναβολή. hoc est, continuas febres curare oportet cum magna diligentia, & citò facere quod indicatio poscit, siue missionem sanguinis, siue purgationem: maximum quippe malum in morbis dilatio. Tenuiori etiam victu vtẽdum erit; nam cùm morbis semper noceat alimentum, id tantum debet concedi, quantum sustinendis viribus sit satis: & quò morbus fuerit breuior, eò tenuior debet esse cibus. Continuæ autem febres suis intermittentibus necessariò sunt acutiores, ob motus assiduitatem: Hippocrate enim auctore primo Epid. parte 3. contex. 3. morbi acutissimi periculosissimi, & grauissimi in febribus continuis. Ergo si febris sit terminanda septem diebus, quod cognoscemus ex signis longitudinem & breuitatem morbi indicantibus, in principio traditis, & præsertim si primis tribus diebus appareat coctio manifesta; continendus est æger prorsus à cibo, & solo potu, aut aquæ mulsæ, aut oxymelitis, aut aqua sola contentus erit: sed quia pauci sunt qui- 11. Method.

bus conſtent vires ad ſeptimum, ſine ſorbitione ptiſanæ, illa danda eſt in quibus non aceſcit,& mulſa in quibus non bileſcit : atque adhuc ſolidior cibus, ſi vires minus ſtabiles eſſe credantur, præſertim noſtro tempore & regione, quòd noſtra tempeſtate copioſiori cibo aſſueuerimus, & regio calidior ſit & ſiccior, quàm Hippocratis : quod quidem auget offerendi cibos indicationem. Demum conijcere oportet robur virium & cuiuſq; morbi ſpeciem, hominis naturam & conſuetudinem, non in cibo ſolùm ſed & in alijs potionibus, quoniam hinc naſcitur de inſtituendo victu vniuerſa ratio : ita tamen vt non fiat intempeſtiua mutatio victus ante vigorem & coctionem, neque cogamur cùm morbi vigent, feruoremq; habent, cibum offerre. Mutandus eſt victus ſanorum in primis, deinde in ea mutatione perſeuerandum vſque ad ſtatum, ab hoc ad perfectam ſolutionem alia facienda mutatio, ab hac ad perfectam ſanitatem alia, eo ordine creſcente copia, qua ad ſtatum vſque decreuit. In nullo enim horum temporum admittenda eſt inſignis mutatio ſpeciei victus, non mutata conditione corporum. Noſtra tempeſtate ſatis eſſet principio pullus gallinæ aut mica panis pro ruſticis, ad cœnam pomum aſſum aut lactuca, in morbis ſeptem dierum : deinde ſuppuratione facta pro alijs morbis, rationem cibationis ſubducito. Qua autem hora cibandi ſint ægri, ex 11. Method. cap. vltimo, & 1. Acutorum vltimo & 4. Acutorum 114. deprehendes. De ſanguinis miſſione, non eſt quod dicamus, neque de purgatione, cùm de his ſatis in curatione communi ſuperius actum ſit.

2.Acutor. 36

2.Acut.32.

2.Acut.44.

CAP. XXXVII.

De notis Synochi & Cauſonis.

SI fuerit Synochus aut cauſon, ſequentibus cognoſcentur notis. Synochus quidem quòd plurimam flammam repræſentet, ſed mitiorem : & ex habitu multi ſanguinis, pulſibus

pulſibus maximis, celerrimis & creberrimis ex vrinis parum à naturalibus permutatis, idque ſi putredo non adſit; ſi verò adſit putredo, Trallianus turbidam & rubram poſtulauit vrinam. At ſi legitimus fuerit cauſos, ex ardore maximo & nimium acri, id enim cauſos ſignificat, ex ſiti incompeſcibili, & linguæ ariditate. Non legitimus verò (qui ex phlegmate ſalſo originem ducit) ex eiſdem, mitioribus tamen. Cætera ſigna quæ ab Hippocrate, Oribaſio & Paulo tradita ſunt, aſſidentia vocari à Galeno 4. Acutorum 4. & 13. ante diximus; vtpote alui fluor, delirium, nigra lingua, ventriculi morſus, quando ab inflammatione ventriculi aut hepatis naſcitur: ſecus autem ſi à pulmone, quoniam tunc ſpiritum efflant magnum & crebrum, & aërem magis quàm potum optant.

Paulus & Gal. 9. Meth.

Lib. 3. de Morbis cap. de ardēti feb.

CAP. XXXVIII.

De curatione Synochi & Cauſonis.

SYnochis accommodatiſſimum remedium eſt ſanguinis miſſio ex dextra communi vena, ad lipothymiam vſque: ac deinde ex altera ſiniſtra vena, ſi adhuc detractio neceſſaria videatur. Sicubi enim hoc auxilium dimiſſum nocuit, maximè in hac febre: ac perinde cernimus grauiſſima exinde ſequi pericula, & morbum ex morbo in immenſum renaſci, quemadmodum ex ſerpentis Lernæ capite. Paucis abhinc diebus hac de cauſa dux de Frias, ſuis infinitis propè virtutibus & genere illuſtriſſima, plures morbos paſſa eſt, cum vitæ diſcrimine maximè præſentaneo: quam Deo duce, dexterrimè, & præter opinionem à duobus præſertim periculis eripui. Sed addunt Oribaſius, Paulus, & Galenus 4. de Sani. tuen. & 12. Meth. quod ſi cuipiam detractus ſanguis non fuerit, aut propter metum, aut ætatem, oportere vel per vrinas materiæ copiam vacuare, vel per meatuum recluſionem, vel febrem lenire & refrigerare.

Gal. 9. Meth. Orib. Pau. & Aëtius.

Quod quidem, meo iudicio, medicinalibus diſciplinis plurimum aduerſatur: ſiquidem in huiuſmodi febribus redundat ſanguis, quem purgatione demere non licet, imò neque per vrinas, vt patet 7. Method. neque per ſudores, ob eandē cauſam. Quòd ſi poſſit, tardius profectò id fiet, quàm morbi poſtulat magnitudo, incendeturq; corpus in horas magis non vacuata plenitudine, à cuius vacuatione incipit ſemper Galenus, etiam ſi multi, craſſi aut lenti ſint ſucci, quò deinde liceat (vt ipſe inquit) craſſos & lentos detergere. In hiuiuſmodi (inquit) cauſarum complexu, à ſanguinis miſſione cœpiſſe conueniet: & copia vacuata ad attenuandos humores venire: quoniam vbi vtroque auxilio eſt opus, à ſanguinis miſſione cœpiſſe conueniet, ex communi omnium ſcribentiū ſententia. Cur ergo ſimulas ob timorem, & præſtas quę non poſſunt non nocere pleno exiſtente corpore? Si purgas, ſanguinē non demis, ſed æquabilem quantitate relinquis. Si ſudores aut vrinas moues, hoc facis cunctatius, & nihil minuis plenitudinis cauſam, nec aliud pręſtas, quàm verba dare. Ergo culpandi omnino ſunt medici qui talem in huiuſmodi febribus methodum ſeruant: quare potius cogendus eſt æger ad ſanguinis miſſionem; cui ſi obſtiterit, pronunciato ægri periculo ad febris refrigerationem indicationem conuerte, tum cibis, tum potibus, vt docuit Trallianus, aut ægro inſalutato diſcede. Quòd ſi Galenus 4. de Sanit. tuen. ob prædictas cauſas dimiſſo venæ ſectionis auxilio, largius aluum duxit, aut alijs remedijs plenitudinem deponere curauit, præſens periculum non imminebat, quod in huiuſmodi febribus fingimus; quoniam de ſanis corporibus eo loco inſtitutus erat ſermo, hîc verò de morbis grauiſſimis. 12. verò Method. de his qui hoc remedium detrectant, hæc memoriæ prodidit. Si ſanguinis abundantia ſit qui diſtendat, vt in phlegmone fit, protinus vbi vires valentes ſint, ſanguis mittendus eſt: ſed ſi is vel ſanguinem timeat, vel imbecillis ſit viribus, tum reuellendus, tum ad propinqua deriuandus. Sed quomodo deriuabis, aut reuelles pleno corpore, num cucurbitulis aut ſcarificatu? in

8. 10. & 11. Method.

pueris

pueris ſanè, atque in alijs qui ſpontaneas vacuationes ſecum ferunt, ſufficeret ſcarificatus, aut hirudinum vſus, in corporibus verò compactæ cutis, ac multi ſanguinis, quid fieret ſi timent quod diximus? Quantum ad reliquam curationem attinet, nihil eſt innouandum, niſi quòd cieas vrinas, ſudores, & aluum ſuo tempore, medicamento ad bilim vacuandam conuenienti; in quam par eſt ſanguis tranſeat dum putreſcit. Quòd ſi cauſos fuerit, maiori adhuc indiget diligentia. Purgant (ſi non conuenit ſanguinis miſſio) Trallianus, Auerrous, & Auicenna: ſic enim inquit Trallianus: Vbi febres ſunt ex ſanguine, venam ſecato ſtatim; eas quæ ex bile, purgato potius, ſi materia tibi procliuis eſſe videatur ad excretionem. Noui me quendam etiam acutè febricitantem purgaſſe, ſed hoc requirit multam diligentiam & animaduerſionem. Auicenna, Indigent (inquit) lenificatione fortiori in principio. Auerrous, In iſta conuenit purgare in principio medicamento trahenti, & ſi ſigna ſanguinis adſunt, ipſum minuere. Purgabis igitur, ſi moueri quopiam humores ſenſeris, aut per vomitum, aut alio. Sanguinem mittes prius, niſi nimiùm exanguis videatur laborans. Propina omni mane aquæ ℥ vj. aut viij. in qua maduerit tamarindorum ℥ j. abſque ſyrupo vel alia re dulci, adiecit Auerrous. Trallianus vetuit oxymeli. Aëtius nihil dulce dedit. Hipp. 4. Acut. cont. 5. aquam mulſam dilutam dari iuſſit. Sed temperatiorem regionem habitabat Hippocrates. Nos verò nullam dulcem potionem propinabimus, ſed aquam tamarindorum cum Auicenna, & Auerroe, iubebimus etiam poſt potum dormire. Succum roſarum commendauit Aëtius, aquæ potum frigidum aut fractum, aut cum oleo roſaceo. At quia non ſitire, delirium, aut facultatis appetentis extinctionem ſignificat, vt patet 3. Epid. parte prima in Hermocratis hiſtoria, cogendi ſunt ægri ad potum. Student auctores refrigerationi & humectationi febris, quoniam ea quæ à cauſa ſumitur indicatio, potentior eſt. Refrigerant itaque domicilium, lectum renouando & ſindonem, ſternendo ſtratum amplum, quo poſſint calfacta membra

de cauſis 7. col. c. 12.

bra huc atque illuc traducere: mutant ſæpius amiculam, refrigerant euripis & floribus herbisq; pauimentum. Cibandi ſunt lactucis ex aceto diluto, atriplicibus, ſeu ſpinachijs, intibis, ſeu vocatis ſcariolis, mica panis in aqua, aut oxycrato, cucurbitulis, piſcibus etiam, aut ouis integris in aqua calfactis, & cum aceto in delicatioribus. Exterius vnguento refrigeranti roſaceo, emplaſtris, lini ſemine in hydræleo, lactucis, violis, cotyledone, portulacis cum aggreſtæ ſucco piſtis & linteo duplici hypochondrijs applicitis. Toti thoraci ſoleo linimentum ex hordei farina in hydræleo admouere, vt in Berzoſa Turris Lacunenſis incola, & reliqua epithemata vulgaria ex aquis: Frigida item epithemata moderatiora his, quæ ex decoctis chamæmali, & meliloti cum farina hordei, aut ſeminis lini, aut ex eorum oleis. Potet aquam hordei, anguriæ magis laudat Auerrous, ſed Maurus ille cùm aſſuetus eſſet medullas bathecarum, melonum, & cucumerum deuorare, idcirco placebat in prauo illo ſucco, quem ego nemini darem, tum propter prauitatem, tum propter ingratitudinē. Potus item aquæ gelidæ proficuus eſt, niſi quid obſtare videatur, ſecurior eſt hydrælei, aut fractæ aquæ, ſeu eucratæ. Balneæ ante coctionem in cauſone legitimo vtiles ſunt, vtiliores tamen poſt: in ſpurio verò non niſi apparentibus coctionis ſignis.

CAP. XXXIX.

De febre lipyria.

VNico capite egit Auicenna de febribus ex apoſtemate, docetq; eo loco eas cognoſcere ex dolore, & feruore partis affectæ: ſupple tu alia, quæ Galenus lib. De locis patientibus ſcripſit ad noſcendas internas affectiones, ex actione videlicet læſa, quæ maximè proprium eſt ſignum partis afflictæ, ab excrementis, poſitu, doloris proprietate, & proprijs ſymptomatis. Atcùm huiuſmodi febres ſymptomata dicantur apoſtematum, & eorum curatio-

curationem præſtolentur, nihil nunc de illis agendum, quoniam propriæ ſunt illis ſcriptæ tractationes. Cæterùm de lipyria ſeorſum fecere mentionẽ Auicenna, Trallianus, Aëtius, Paulus & Oribaſius, de febre ex eryſipelate. Auicẽna ſua fortaſſe ſequutus figmenta, quibus lipyriam phlegmaticam & bilioſam poſſe fieri comminiſcitur, phlegmaticam quidem dixit, quoniam in profundo putreſcit pituita, cuius cauſa illã calfieri ſenſit, materiasq; calidas eò confluere, deſertis extremis, præſertim ſi in eis crudæ fuerint pituitæ. Aut aliter, ex putreſcenti pituita reſoluuntur vapores calidi tantùm, quorum calor paruo temporis ſpacio durat, & reuertuntur in natiuam frigiditatem, qua extimas partes refrigerant. Bilioſam fieri dixit, quòd craſſa bilis intima calfaciat, & ab ea nihil ferè reſoluatur, quod extimas partes calfacere valeat: hoc enim accidere cernimus in vſtis lapidibus, aut duris ſiccisq; corporibus, vt nihil fermè fumorum exhalet. Nunquam verò fecit mentionem eius quæ ex interna fit inflammatione, de qua 2. Criſ. cap. 7. & 7. Aphoriſ. 1. Præterea cæcutiuit, quòd cap. de curatione eius cõfundit epiali & lipyriæ curationem, cùm lipyria ex bile (vt ipſe inquit) poſſit etiam accidere, & præcipit vti ſyrupo roſaceo, rob agreſtæ ſolutiuo ex myrobalanis; quæ omnia valde aduerſantur pituitoſis ſuccis, à quibus epialam & lipyriam poſſe manare liquidò fatetur. Ergo poſthabita Auicennæ ſententia, pro loci patientis conditione, quem inflammatio obſederit, varianda eſt curatio, procurandaq; affectæ partis refrigeratio linimentis ex hordeo, hydræleo, additis portulacis, lactucis, cotyledone, cucurbitis, dactylis, emplaſtro ex portulaca cum agreſta & oui albumine, ex lini ſemine in hydræleo, cucumeris medulla in aqua diſſoluta, quam laudat Trallianus in tertiana. Hippocrates albumina oui diſſoluit in aqua ad hoſce feruores compeſcendos, lib. de morbis, ſed admodum glutinoſam hanc exiſtimo potionem, & quæ non niſi præ tenuitate humorum qualibet hora ſyncopen patientibus, conueniat, de qua 12. lib. Method. Arcent hos qui interna inflammatione laborãt à potu aquæ frigidæ

gidæ & balneis ante coctionem: ſiquidem illa incrudat, tametſi Trallianus eryſipelati aliquando eam non denegauerit,& Galenus ſatius eſſe putauerit illud incrudaſſe,quàm ſinere laborantem in hecticam labi; balneæ verò fundunt humores per vniuerſum corpus, & eos habiles fluxioni in partem læſam efficiunt. Sed pro aqua gelida concedunt fractam ἔνυδρον Græ. aut hydræleon cum roſaceo,aut ſine eo. Declinantibus internis tumoribus (etiam iecinoris) non dubitauit Galenus purganti vti medicamento, eo nempe quod ex polypodio, epithymo, cnico, vrtica, mercuriali conſtat, partim in ptiſana coctis, partim tuſis: nigri etiam veratri corti-
13. Method. cem aliquando incoxit in ptiſana. Sic enim Galenus ipſe loquitur: Procedenti tempore vbi phlegmone iam coquitur, etiam valentioribus vti licet, aſſaro, celtica nardo, phu, petroſelino, ſmyrnio, meo, ſicut etiam per ventrem euacuare ſi cauum afficiatur, cnico cibis admixto, & vrtica mercuriali epithymo & polypodio, omnibus præterea modicè aluum ſubducentibus, magisq; in remiſſionibus, tum his audacius quàm antea vtendum, tum valentioribus, partim in ptiſana coctis, partim tuſis ac in molliſſimum puluerem redactis; exhibenda verò & hæc in ptiſana, aut ex aqua; ego namque etiam filiculæ aliquid in ptiſana aliquando incoxi, & nigri veratri corticem. Hæc Galenus, quibus liquet declinantibus inflammationibus etiam iecoris aut ventriculi non eſſe prohibendam purgationem, necdum in inflammatis partibus longius à ventriculo ſitis, cuiuſmodi eſt pleuritis, aut phrenitis, aut renum aut vteri inflammatio; cùm etiam Hippocrates in pleuritide deorſum vergenti pharmacum intrepidè iuſſerit eſſe propinandum. Poteris deinde mouere vrinas, ſudores, & canones alios ad curationem putridarum commendatos ad vſum reuocare.

CAP.

CAP. XL.

De asserenda febre sanguinis contra iuniores.

VT monstraui in commentarijs de Iudicationibus, quartum genus febrium datur ex sanguine, quidquid Galenus affirmauerit; ita vt sicut quatuor sunt humores, quatuor etiam sint febrium genera, ex illorum putredine accensa. Hippocrates etenim inter alias diuisiones febrium, hanc numerauit: Febrium aliæ sunt rubræ, aliæ pallidæ, aliæ liuidæ: quam nescio qua ratione possis intelligere, nisi sanguineum genus asserueris. Item si tria illa genera constituuntur, quòd signa videantur illa monstrantia, biliosa in biliosis, pituitosa in pituitosis, & melanchymica in melanchymicis: cur non ponetur quartum genus, siquidem eius etiam adsunt indicia, rubra vrina, ruber color, pulsus magnus & plenus, temperamentum calidum & humidũ, ætas proportionata adolescentum, regio & tempus temperata, victus temperatus, & vita indulgentissima, calor simplicior & multus, nullus per periodum reditus. Sanè ruber color nõ nisi à sanguine euenire potest, ex 6. Epid. parte 5. cont. 14. Ac cùm 1. Epid. parte 3. cont. 2. dubitat Galenus, an detur quintana, sextana &c. rogans quibus signis & à quibus humoribus, & quia nec signa, nec alij adsunt humores, à quibus periodus possit produci; cõcludit eam non dari. Certè cùm prẽter tres febrium differentias detur synochus, signa item sanguinem repræsentãtia, detur quartum genus necesse est. Nec enim quòd dulcis sit & moderatus sanguis, sequitur mox corrumpi, in aliumq; transire humorem qui putrescat: inde enim tantùm elicies, quæcunque temperata sunt peius putrescere, vt gallinas, homines, collatione ad reliqua animalia facta, non tamen aliquandiu intra speciem suam non sustinere putredinem. Nec apertè illud negauit Galenus, qui nũc quodammodo biliosas pronunciauit sanguineas, nunc verò biliosas fieri superassato sanguine, nequaquam simpliciter ex computrescenti fieri tales. Curatur sanguinis missione, victu

6. Epid. parte 1. cont. 28.

tenuiſſimo, frigido & ſicco, vt latius cap. de ſynochis egimus; vbi commodam huius generis febrium curationem adduximus.

CAP. XLI.

De habituali febre.

HEctica febris eſt caliditas in cordis ſubſtantia accenſa, quæ bifariam fit, aut poſt diuturnas febres putridas vel cauſones; aut ab eiſdem cauſis à quibus ephemeræ; verùm vt plurimùm poſt alias febres generatur. Tres habet hectica differentias. Prima hectica ſimpliciter nominata, quę fit interim dum ferueſcit ros, ex quo ſimilares & ſolidæ partes proximè nutriuntur. Secunda, quæ ex eodem cùm conſumitur (in cuius cõſumptione cùm magna ſit latitudo, infinitæ conſtituuntur magis & minus diſtinctæ ſpecies) cui non aſſignauit nomen Galenus; Trallianus tamen indidit μαρασμώδης, Auicenna debul. Tertia quæ ſimpliciter maraſmus, cùm ipſas ſolidas partes attingit conſumptio, in quibus priùs conſumitur id quod carnoſum eſt, poſtremò fibræ & membranæ ipſæ, hæc cunctorũ ſententia inſanabilis eſt. Carnoſam in venis, neruis, arterijs & alijs dicimus portionem, non quòd carnem eam eſſe putemus, ſed cùm nomine deſtituatur, claritatem ſermonis diligentes ad analogiam aliarũ partium muſculoſarũ, eam carnoſam vocamus. Efficitur calor hic fixus firmusq;, quando eſt æqualis, & æquè afficiens profundã partium ſubſtantiam ac ſuperficiariam; quod fit, quia traducta eſt ſubſtantia ad cõſimilem naturam calori febrili, cuius cauſa euenit vt hęreat firmiter ceu in conueniẽti ſubiecto. Siccitates aliæ de quibus 7. Method. ſanguinis (ſcilicet) pinguedinis & carnis, quotidie ſanantur, nec earum abſumptione cenſetur hectica fieri febris, vt voluit Auicenna, alioqui putridæ febres, tam acutæ, quàm longæ, cùm trahunt corpus ad ingentẽ maciem, hecticæ dicendæ forent. Vnde attenuatorum duplicem differentiam inſinuauit Galenus lib. de Maraſmo: alterã, cùm ros ille abſumptus

8. Method.

ptus est, & molliores carnes: alteram, cùm solida ipsa desiccantur; posteriorem insanabilem, priorem verò minimè putauit. Noscuntur primùm, quòd à causis non pendeant vllis, sed absque illis penitus consistant, quod cognosces ex vrina & pulsu. Secundò, si à causis prægressis incœperint, distinguẽtur tamen in hoc ab ephemeris; quòd ad diem sequentem extenduntur non declinantes, & multo magis si tertiæ diei spectata accessione nõ redierit, sed manet exigua febris cum ariditate quadam. mitis præterea primo tactu, deinde acris & in profundo sentiatur. Magni sunt pulsus & celeres in ephemeris, in his parui & obscuri frequentesq;, vrina in diarijs cocta, in his minimè. Addunt Auicenna & Trallianus, quòd si transactis decem aut duodecim horis non declinauerit, oportet hecticam suspicari febrem; quoniam magna ex parte post hoc tempus diaria incipit declinare. Quod reputo falsum, nam ephemera tota fermè est status, per viginti quatuor horas. A continuis repetentibus separantur hæ febres, quia nec crescunt nec minuuntur. A continentibus ex pulsus paruitate & caloris temperantia, quanquam mordacior, aridior & profundior. Vltimo quod assumpto cibo ad vnam duásve horas increscere videatur calor, pulsus fieri maiores & velociores citra vllam sui ipsorum compressionem, aut frigoris annotationem. Quod quidem licet in alijs accidat febribus; id tamen fiet, si tempore quo futura est accessio, cibus porrigatur, prẽter id quod sine cibo fit illis prædicta inuasio. Præterea cùm omnes febres regi debeant victu frigido & humido, is non excitabit calorem, nisi in squallido, vt in calce; quòd si calidum præbeas cibum, æquè calorem suscitabis in omnibus febribus. Alia hecticarum nota est, calor maior in arterijs, quàm in circunstantibus partibus; quod fortasse est id quod voluit Trallianus, dum calorem acrem hecticarum in profundo iacere significauit, in alijs febribus in superficie, quod quidem deprehendetur experimento sumpto (quemadmodum voluit Galenus) in loto brachio; expirat enim humor, si quis.

Signa hecticæ.

eſt imbibitus in carnoſis partibus, ac exinde fit vt minus calidæ monſtrentur, ſolidæ verò vtpote denſiores, calidiores ſentiantur. Duo ſunt alia ſigna hecticarum propria, ſibi ſimiles manere, abſque inuaſionis, incrementi, aut vigoris nota. Ac minimè febrem ægrum percipere, tertio de Præſag. ex pulſibus cap. 3. Maraſmus eiſdem deprehenditur notis, & amplius facie illa Hippocratica, quam pulchrè ſatis efformatam nobis reliquit Hip. primo Prognoſticorum.

CAP. XLII.

De hecticarum curatione.

SCopus ſanationis hecticarum refrigeratio eſt & humectatio, nihil omnino impediente cauſa, quam abeſſe proponimus. Si igitur nullo præcedente morbo in hecticam quis inciderit, licebit audacius illud quod ſcopus poſcit efficere tam interius, quàm exterius: propterea quòd non erunt adeò affectæ partes & carnibus exutæ, vt nequeant ſine noxa refrigerantium remediorum vim ſubſtinere. Qui verò poſt alios morbos in hanc miſerandam luem labuntur, cautius ſunt refrigerandi; ne modica illa vis natiui caloris violenta refrigeratione pereat, aut in ſenium ex morbo appellatum incidat. Domus ergo paretur, æſtate ſaltem, ad frigidum & humidum temperamentum declinans, ſtratis roſis, iuncis (ita enim apud Galenum & Trallianum interpretor σχίνον, non lentiſcum, quæ calida eſt planta) myrto, vitium pampinis, violis, ſalicibus & ſimilibus. Aqua inſpergatur copioſe, in locis ſubterraneis & ad boreales plagas ſpectantibus. Arte parentur aquarum decurſus ex vaſis in alia vaſa, quo ſtrepitu ſomnum concilient, quo ſolent laborantes maximè egere. Hieme temperatior ſit paulò, ad frigidum tamen declinans. Mox balneis vtatur, ita vt oleo blandè fricentur membra in domo, quę moderatè calidum habeat aërem, ſitq; oleum dulciſſimum & nihil habens aſtrictionis, quò aditus paret balnearum refrigerationi & humectationi: deinde

æger

æger introeat ſolium aquæ temperatæ, lactis tepore, γαλακτώδη appellat Trallianus; & egreſſum cooperiant ſindonibus diligentiſſimè, referantque in lectum, vbi deterſus, adaptatis vnguentis vngendus eſt antequam veſtiatur. Vltimo parato iam cibo cibandus eſt, præſertim ſi ſitierit; nam tunc ocyſſimè fiet, ne amplius præ inopia deſideratæ humiditatis ſiccescat. Soleo ego parare balneum quæſito vaſe nauiculæ inſtar, ad lecti pedes, quod aquam contineat paulò calidiorem, & quæ oblectet potius quàm feriat, in illaq; morari merſum ægrotantem iubeo, & caput ipſum ſubmergere ex Gal. 10. Method. donec paululum frigeſcat, ſeq; id ſentire reſponderit: aut ſi tantam moram nequeat ſuſtinere, in aqua illa primùm parata, paulatim frigidam infundant, donec ad prædictam metam peruentum ſit. Frigida enim natatio mihi ſuſpecta eſt & valde timoroſa ob corporis maciem: præſertim cùm ex Raze, Zoare, Auerroe & Tralliano, in aqua tepida ſolùm ſint mergendi, & omni hora balneandi, qua ſtomachus vacuus eſt à cibis. In valentibus, etiam in frigidæ natationem deſcendere vult Galenus; in debilibus verò perfuſione ſola eſt contentus, neque tepentis aquæ, neque adeò frigidę vt feriat, ſed dictæ fontanæ. Languidi ſindonibus portentur, alij lecto, aut ipſi adeant. Vnguēta quibus poſtea vngi debet corpus, ſunt; refrigerās Galeni, cui aut albumen oui, aut ſuccum ſemperuiui addes, vbi maiori opus eſſe refrigeratione conſtiterit: aliquando ſolo butyro vaccino in cremore ptiſanæ ſæpius loto ſum contentus, aut ſolo, aut cum oleo violaceo, aut amygdalino: quemadmodū in perquàm illuſtri Maria Mendocia expertus ſum, quam Deo duce ab hectica liberaui, qua poſt diuturnos morbos fuerat correpta abſque vlla ſpe ſalutis. Vngatur bis, mane & veſperi, eo præſertim loco vbi ſuſpicati fuerimus inflammationem ineſſe: quo veluti foco extincto, reliquę partes promptiùs perfrigerentur. Ac proinde particulæ inflammatæ, epithemata imponentur ex herbis, ſemperuiuo (ſcilicet) lactucis, violis, ſolano, roſis, cotyledone, intybo, oxylapatho, oxalide, dactylis piſtis, alijsq; ſimilibus herbis co-

10. Method. Trall. Aëtius, Oriba.

bis coctis in aqua aut aceto. Has porrò aut cum polenta mixtas ſolùm, aut cum vnguẽto dicto roſaceo in panniculo duplicato, affatimq; frigidas appones, aut cum oleo roſaceo, aut omphacino: cautius tamen thoraci adhiberi debent, ne reſpirationis munus offendatur, quemadmodum aliquãdo viſum eſt Galeno. Renouanda ſunt emplaſtra, ſi vehemens videatur flamma: Solemusq; vngere ſpinam potiſſimùm totã, thoracem, ventrem atq; ipſos teſtes; à quibus cùm toti corpori ſano tanta vis tribuatur, quę virum à fœmina diſtinguat, non mediocre auxilium ſequetur ipſis refrigeratis, quod & in acutis morbis obſeruamus. Poteris tu vnguenta fingere ex lacte ſeminum frigidorum, ſuccis herbarum, albumine oui, portulacis piſtis cum roſaceo: ſed reliquum corpus moderatius, inflammatam partem vberius refrigerabis, & hoc fiet poſt balneum, antequam veſtiatur. Cibabitur laborans qui non adeò languidus eſt, ſolidiori cibo, ptiſana, farre, & ptiſanæ cremore, piſciculis laudatis, truttis, cochleis prius maceratis in aqua, quo ſalſuginem deponant, teſtudinibus eodem modo paratis, gallinis, pullis ſaginatis, pulte ex lacte & farina, porcellis, vitulinis carnibus, cuniculo paruo interdum, ouis, præſertim vitellis, & toto ſorbili, perdicis pullis, & demum auibus tenerioribus vtatur, quæ dura ſunt fugiat. Lamprettas & anguillas non laudo, licet ſit qui anguillis vti concedat: Ego verò cibos faciles coctu & boni ſucci ſeligerem, quod quidem de his minimè dici poteſt, cùm difficiles ſint coctu, maliq; ſucci, etiam ſi in puro verſentur humore, vt patet lib. de Euchymia. Suum annuorum pedes non concedit Galenus, niſi his, qui multùm exercentur, neque aures, roſtra, ventrem, & matricem: alios ab horum eſu abſtinere iuſſit lib. de Attenuanti victu. A fructibus incipiat melonibus, cucumeribus, lactucis, cichorijs, pomis & ceraſijs; immò verò ſi aluus fluxerit immoderatius, malum punicum, aut pirum, aut malum cotoneum, aut conſimile aliud prima edat menſa, aut oliuas. In his ego faſtidium fugiens coquo gallinam cum hordeo, aut veruecem

eodem

eodem modo. In languidioribus lactis potus eſt laudandus, ſuctus quidem ſi ſuſtineat æger; ſin minus, epotus calidus; quod vt fiat, recipiatur inter mulgendum vaſe aquæ calidæ pleno: laudatur præ cæteris muliebre, & iuuenis ſaniſſimæ temperaturæ, & à partu per duos menſes aut plures diſtantis: ſi qui tamen ſunt qui familiare ſibi alimentum horreant, bibant aſininum, caprinum, aut bubulum extracto butyro. Semper tamen tentandum eſt prius lac aſininum bibere, quod tenuius ſit & facilius permutetur: caprinum etenim aliquando ægrè coquitur, quòd craſſioris ſit ſubſtantiæ, quod experimento didici in perilluſtri illa Maria Mendocia, quæ caprini lactis potu malè habebat. Ius carnium coctarum cum frigidis herbis, & conditum deinde ſucco aliquo refrigeranti, placuit mihi ſemper præ cæteris aquis ſtillatitijs; tum quòd minore quantitate ſufficiat (quod nauſeabundis placens remedium eſt) tum quòd diſtillatio illa decipiat potius ægrotantem quàm nutriat. Cùm enim quæramus cibos qui non facilè diſſipentur, ſed glutinoſum quid habeant, quo hæreant membris: quorſum hos vapores & fumos præbemus? Ergo accipiamus ius carnium coctarum ad ſaporem vſque gratum cum hordeo, lactucis, limacibus (ſed horum frequens vſus melanchymicum ſuccum generat, tertio De locis, capite ſexto) teſtudinibus & ſimilibus, deinde prælo compreſſis carnibus extrahamus ſuccum, quem ℥ iiij. pondo, cum modico agreſtæ, aut limonum, aut narantij ſucco condias, addito interdum roborandi ventriculi gratia, aut corianni, aut croci modico. Ipſas præterea carnes minutim ſciſſas, & iuris modico madefactas condio ſimilibus acidis ſuccis, & aromatis quantitate pauciſſimis. Leucophagum dictum ex oriza, lacte & gallinæ thorace factum difficilis puto coctionis. Lucanicas ἰσύκια apud Athenæum, & ſimilia condimenta gratulationis gratia donarem ſemel aut bis; ſed eorum vſum damno, tum quòd quarto Acutorum reprobantur, tum etiam quòd niſi ad coctionis

apparatum perducantur, exucca reddentur ſeruata. Poterit (fateor) in ventre porcelli coqui gallina, pullus perdicis, turturis, fruſtum veruecis, aut perna. Placẽtas alias quas ex thoracibus auium, aut carnibus limacum, aut teſtudinum, ſolẽt parare, vitupero : ob id quòd pulueris in modum exiccatæ, poſtea quàm tabellarum inſtar cum puluiſculis ſiccis condiuntur, nihil alimoniæ præbebunt, & tædio potius afficiunt ægrum, quàm iuuent: nec enim minus ſicceſcent, quàm videmus carnes veruecinas poſt coctionem ſiccari. Quòd ſi placet non nihil refrigerans aut roborans aſtrictione ſua elargiri, aut conciliare ſomnum: porrige ſeminis papaueris cum ſeminis fœniculi pauca quãtitate, cochlearium, aut nuces pineas aqua prius maceratas, amygdaláſve nouellas in aqua antè madentes; vuæ paſſæ & ficus, maraſmo ex ſenio laborantibus conducerẽt potius, propterea quòd calfaciunt: atq; ideo febricitantibus non conducunt, ſicut neq; aqua mulſa, quam ſuperbiens ille licenter porrigebat hectica laboranti. Conſerua violarum, roſarum, borraginis, caules lactucarum conditi, cucurbitulæ, limones integri erunt ex vſu, loto prius ſaccharo: ſed limonum & citriorum cortices vitupero, quoniam calidi ſunt. Aut ſi mauult ægrotus conditum vulgare, ℞. conſeruæ roſarum, violarum, borraginis ana. ℥ j. pulueris ſeminis papauerum, diamargaritonis frigidi ana. ʒ ij. fiat conditum cum modico ſaccharo, exorneturque aureis laminis : da cochlearium cum aquæ hordei tribus aut quatuor vncijs. Si tãta adſit ſitis vt placari hoc condito non poſſit, ℞. ſeminis portulacæ, medullæ cucumerum, aut peponum ana. cum mucagine pſyllij aut citoniorũ, efforma trochiſcos pondo ʒ j. quos contineat in ore, & deglutiat humiditatem. Potus ſit aqua hordei cocta ad rubedinem; quæ ſi nocere ventriculo videatur, miſce modicum cinnamomi; aut vtere aqua ſola feruefacta prius. Vinum interdixit Trallianus : cæterùm valdè aſſueris, cuiuſmodi ſunt Cantabri & Vaſcones, nõ prohiberem vinum aquoſiſſimum, præcipuè ſi inflammationem non pertimeſcimus : aquam tamen frigidam donant cupidè, vbi aut inflam-

inflammationem, aut putredinem non timent; Trallianus validioribus quantũ velint porrigit, in alijs timet noxam ſtremò quia nõnunquam accidit putridam febrẽ cum hectica coniungi, vel partis alicuius inflammatione, potus aquæ frigidæ illis non cõducit ante coctionem; propterea quòd induret & incrudet humores: quanquam in ardentiſſimis & bilioſis, non reformidauerit eam porrigere Trallianus, atque etiam Gal. 12. Method. Satius eſſe putãtes phlegmonem incrudare, quàm ſinere ægrum in hecticam labi. Lac etiam in putridis vetatur ob corruptionem, & tunc cremore ptiſanæ aut ptiſana & alijs vtuntur Auicenna & Serapio. Vetatur etiã in murmurãtibus hypochondrijs, in ſiticuloſis, in frigidis admodum ventriculis, & tumorem patientibus in hypochondrijs, & in his qui ſupra aut infra bilem deijciunt, in febribus etiam bilioſis & acutis, 5. Aphor. 64. & 1. de Morbis. Nõ prohibuit Auicenna caſeum recentem ſine ſale, & vinum, dum ſenſit ægrum in melius progredi.

CAP. XLIII.

De Peſte.

MOrbi præter alias diuiſiones, in hanc diuiduntur. Quidam enim ex nobis naſcũtur, qui ſporades ac diſſimiles dicuntur; quidam verò à ſpiritu quo viuimus, cuius nomine aquam & cibos communes complectimur, atque hi ſunt ſimiles, vocanturq; vulgares ſeu Epidemij. Sed hi rurſus aut ſunt loco communes, & dicuntur indigenæ, aut aëri ſeu conſtitutioni temporaneæ, qui ſolùm ſunt vulgares; qui ſi plurimos necauerint, peſtis dicetur: de qua an detur ſine febre dubitant, cùm nemo (quod viderim) eorum qui doctiſſimè ſcripſerunt, negauerit. Nam præterquam quòd 3. Epid. parte 3. cont. 58. peſtis citra febrem ingruere poſſe dicatur (vt codex habet Venetus) experientia ſæpius confirmatur, quæ catarrhon peſſimum nobis obtulit, & hiſce proximis diebus diſenterias, & id genus alia mala,

quæ plurimos necarunt eorum quos eodem tempore inuaſerunt. Quanquam enim de febre peſtilenti crebrius agatur apud ſcriptores, non proinde colligere debet quiſpiam, ſine febre non poſſe conſiſtere. Vt enim venena frigida, ſic morbos aut humidos, aut ſiccos, aut etiam frigidos peſtilentes admittant neceſſe eſt; qui ob cauſæ magnitudinem & corporis apparatum mortalium corpora ſuperare poſſint. Hinc enim Hippoc. 1. Epid. parte 2. cont. 7. teneſmos, dyſenterias, & lienterias vulgariter graſſari dixit, & parte 1. cont. 14. quoſdam febrire, quoſdam verò non. Duplex genus peſtilentis febris deſcripſit Razes, alterum febris ſimpliciter dictæ peſtilentis, alterum eulogiæ; quarum poſterior bilioſis corporibus aduenire dicitur, & atrocior multo cenſetur. De corporibus peſtilenti febri paratioribus diſputauit Razius illa dicens oportuniora, quæ Græcis λευκὰ, ὑγρὰ, πολύσαρκα, ἐρυθρὰ, dicuntur, & adhæc quæ febribus continuis corripiuntur, hæmorrhagias, & ſanguinolentas patiuntur affectiones, puſtulas, ophthalmias, lemas, efflorescentiáſve, Græcè ἐξανθήματα, & quæ dulciarijs cõdimentis vtuntur, & lacte: demum calida & humida corpora prædictis ſignis notata, oportuniora cenſentur peſtilenti febri, vtpote quæ putredini ſint magis obnoxia, excrementisq; ſcateant plurimis. Eulogiæ verò corpora bilioſa, iuxta ea quæ dicta ſunt. Omnium ineptiſſima ad hæc duo peſtis genera, frigida & ſicca corpora ſunt; quòd oppoſitas ſecum gerant qualitates putredinalibus, calido ſcilicet & humido. Adiecit omnia fermè mortalium corpora corripi peſte, ob id quòd omnia tranſeant à puerili ætate ad ſenilem; in quo tranſitu cùm cõſimilem patiantur affectionem, quam vinum dum ex muſto perficitur, fit vt eo tempore quo feruent, & ad perfectionem feſtinant, peſtem experiantur. Quamobrem inter ætates, puerilis maximè peſte corripitur, quòd calida ſit & humida, victu calido & humido vtatur, lacte ſcilicet, aut alio ſimili, quodq; pueri pluſquam alij in victus ratione delinquant: at iuuenes abſolutam habentes ſanguinis mutationem, & conſumma-

3. Decõpoſ. ph. ſecundũ gen. cap. 1.

ſummatam, ſenes frigidá & ſiccam nacti temperiem, minus hac lue capiuntur. Tempus huic malo aptius cenſetur autumni finis, & veris initium, eodem auctore: idq; pertimeſcimus æquius, cùm hyems auſtralis fuerit, æſtas pluuioſa & auſtralis, autumnus calidus & ſiccus & valde pluuioſus: ac vt vno verbo dicam, ſicut corpora calida & humida ſiue natura, ſiue conſuetudine, cæteris paratiora huic morbo creduntur, ita & temporum illud erit accommodatius, quod conſimilem præ ſe tulerit diſtemperiem, & diutius dominãtem. Sed an omnis peſtilens febris, & morbus omnis peſtifer putredini acceptus ſit referẽdus, diſputatur; cùm Galeno auctore 1. de diff. febrium, cap. 5. omnes febres peſtilentes à putredine ortum ducere conſcribatur, quod 6. Epid. parte 1. cont. 28. roborauit inquiens: Sed febrium numeratio nunc in præſenti ſermone propoſita, à differentia caloris accipitur, ſub qua & peſtilens febris, putridum calorem habens, contineri poteſt. Ac paulò inferius explicaturus dictionem illam pemphigodes, aſpectu terribiles, addit. In ſermone autẽ cùm huic voci pemphigodes, hæc, terribilis adiecta ſit, ſola peſtilens febris denotatur, cuius ab alijs calor per putredinis excellentiã differt. Quid ergo dicemus eidẽ Galeno qui 3. lib. de Preſagijs ex pul. cap. 3. & 4. hecticas poſuit peſtilẽtes, quando aër infectus putredine, inſpiratione trahitur ad cordis corpus, quas dixit eſſe ſine remedio; cùm illorũ plures ſupereſſe conſenſerit, quorũ cordis humores, calor ille putridus occupauit, non cor ipſum. Ob hanc rationẽ cenſent nõnulli peſtilentes febres partim eſſe putridas ex humoribus, partim hecticas, omnes tamen naſci ex putredine aut humorũ aut ſubſtantiæ cordis, aut proximi aliméti roris: ita vt in hoc differat hæc peſtilens hectica ab alijs, quòd in hac fiat conſũmptio à putredinali calore malo, in alijs à calore habituali. Sed hos facilè rogarem, cur hũc vocent putredinalẽ, non illũ, ſi vtrobiq; fit ſubſtantiæ cõſumptio ab accẽſo calore prẽternaturali. Prẽſtabilius fortaſſe fuerit dicere, fortem mutationẽ per corruptionem factam venenoſo pharmaco eſſe ſimilem, vt Aëtius

ſermo-

ſermone 1. 2ᵉ. quater. cap. 129. retulit, hancq; reddere anhelitum fœtẽtem, & eryſipelaceum colorem, & thoracis flammam, ob ſuccorum in quos agit peruerſam mutationem. Non enim tam praua cordis alteratio, cibos ac vicinos ſuccos niſi perperam alterabit. Sed cùm turbulentæ vrinæ, inæqualia ſedimina & ſubliuida eiſdem locis ſpectentur, ſi moriendũ eſt; alba verò læuia, & æqualia in ſalubribus, vitiari materiam neceſſe eſt, ſimulq; & putridam & hecticam coniungi, vt 1. de diff. febrium cap. 10. narratur. Quomodo enim eiuſmodi vrina poſceretur in illiuſmodi peſtilentibus febribus, niſi humores vitiati eſſent? Sedimentum enim liuidum inæquale putreſcentis humoris indicium eſt; vt Stephanus docuit, & verſatis in contemplatione de vrinis eſt perſpicuum. Iam verò cor putreſcens, ad eum modum, quo reliquas noſtri corporis partes putreſcere videmus, & gangrænis affectum, quis vel per horam durare conſentiet? Manet ergo ſalua febrium diſtinctio Galeno tantopere cuſtodita, qua febres hecticas appellauit, quæ in cordis ſubſtãtia accenſæ ſunt, putridas quæ ex humorum putredine; diarias verò quæ ex ſpirituum accẽſione pendent: peſtilentes præterea febres, quæ cum hectica coniunguntur, abſque remedio ſunt, ob id quòd virium robur requirant, quod nequit in hecticis perſiſtere, quæ temperamentum partium natiuũ ſubuertunt. Præterea ex Hip. lib. 4. de morbis, tres ſunt cauſæ morborum, violentia, cibi non purgati, & quæ ex cælo proueniunt.

CAP. XLIIII.

De peſtilentium febrium notis.

PEſtilentis febris notas non alias poſtularem, præter eas, quæ malignos morbos comitantur, & ſuperuenientia ſigna dicuntur; nam cùm peſtilens febris de genere ſit putridarum, ad aliquod illorum trium generum extat neceſſariò reducenda, ſola magnitudine ab illis ſeparata. Bene proinde dixit Auicenna, eas cognoſci ex febre interius

interius conturbante; exterius verò quieta. Peſtilentem ergo febrem hæc comitantur ſigna, inquietudo & anxietas, appetitus proſtratio, virium inopinata deiectio, febris continua, dorſi dolor, narium pruritus, ſputa in ſomno, totius corporis punctio, pandiculatio, oſcitatio frequens, dolor in gutture & thorace, difficilis ſpiritus, raucedo, grauitas & pulſans dolor, dyſphoria, & membrorum iactatio. Atque hæ videntur eſſe febres, quas Hippocrates figurauit 4. Acutorũ contex. 47. inquiens: Febres implacidæ, Græcè ἀσώδεις, hypochondria cõuelluntur, iacentes ægri ſeſe continere non poſſunt, extrema frigeſcunt, abſolutiſſimaq́; cùm diligẽtia, tum cuſtodia indigent. His nihil præter oxymeli aquoſum donat Hippocrates; ſorbitionem vetat, donec matureſcat morbus; iaceant in obſcuro molliq́; lecto, & poſitum eum diu ſuſtineant, hypochõdria lini ſemine in hydræleo tepido illiniri iuſſit. Et inferius contex. 61. de hyemali febre loquẽs, alia etiam adduxit ſigna, quæ peſtilentibus febribus maximè conueniunt. Atque hæc Hippocratis indicia magis peculiaria mihi videntur; cætera namq; communia pluribus ſunt, ſi rectiùs perpenderis. Sed addamus halitum fœtentem, colorem vultus ſplendidum ex Razio, ex Galeno verò eryſipelaceum. Iuuabitur medicus in dignoſcenda peſte, ex prægreſſis ſignis, primùm quidẽ ſi æſtus magnus, & inſalubris temporum ſtatus præterierit, cuiuſmodi eſt auſtralis, & ſubſolanus diu perſeuerans, caliginoſus aër & abſque pluuiarum caſu, apparitiones igneæ, vitioſarum aquarum potus communis, eduliorum deprauatorum eſus ob indigentiam, cõtagione infectus aër, aut paludum aut cadauerum vicinia. Inſuper ſi aëris vitio peſtis imminet, volucres paſſim intereunt; ſi verò ex terræ euaporationibus, quadrupedum præit corruptio, ranarum adeſt multitudo, & murium apparitio inſolita. Demum communia ſunt ſigna cum alijs morbis, ſed horrendiſſima videntur in peſte, deliria varia, vomitus, hypochondriorum diſtenſiones, dolores, ſudores multi, extremorum frigus, profluuia ventris, vrinæ aquoſæ, vel cum malis ſubſidentijs, ſtillę ex naribus, æſtus thoracis,

linguæ

linguæ torrefactæ, vigiliæ, vlcera praua carbunculoſa, & alia his ſimilia, quæ ex actione læſa, excrementis, & qualitate mutata deſumuntur.

CAP. XLV.

De præſeruatione & curatione.

SCopus curationis, ſimiliter & præſeruationis in febribus peſtilentibus (auctore Galeno lib. 1. de diff. feb. cap. 4.) eſt, vt corpus quàm maximè ſuperfluitatibus vacet, atque optimè ſpiret. Secundo loco poſt hoc, vt præpotenti cauſæ, quoad eius fieri poterit, aduerſemur. Primum quidem proſequitur Galenus prædicto loco, quacunque ratione humida corpora deſiccando, & ea quę ſicca ſunt, in antiquo habitu conſeruando. Deſiccat deinde, redundantes humores purgando, obſtructiones aperiendo, ac detergendo. Razius ſanguinem mittit vſq; ad annos quatuordecim, ad animi vſque deliquium, ſi ſanguinis adſunt ſigna, iuuenibus admouet cucurbitulas (intellige) cum ſcarificatu, aliter non vacuares redundantiam, vt propoſuit Galenus, ſed agitares. Segobienſis notatur. Qui enim ſcarificatus abominatur ſuo loco, puncturis alijs vſus, ne parum multa ſciuiſſe videretur, id fecit, non vt quidquam frugi doceret. Si enim veniſecas taxat, qui minus dexterè aliquando ſcarificantes ſanguinem demunt, non remedium, doctè quidem; ſi verò remedium ipſum, culpet quoq; ſuum inuentum neceſſe eſt, quod non minus laborantes cruciat. Razius quoque ſicut ſanguinem vacuat, plus minúſve, cùm ipſum redundare ſuſpicatur: ita quoque bilioſum humorem excernit inter initia, ſi eius notas, ſitim videlicet, vomitum, oris amaritudinem, & ardorem nimium perſpexerit. Auicenna curationem exorditur, inquiens, Summa curationis eorum exiſtit exiccatio, & illud fit cum phlebotomia & ſolutione ventris, & oportet vt incipiatur in ea ab euacuatione. Aëtius, ſi ſanguis abundat, his vena ſecetur: bona eſt & per vrinas expurgatio, & quæcunque aliæ. Quod Paulus quoque aſſeruit

asseruit volens omne genus vacuationis fore exercendum. Auerrous 7. colli. cap. 31. medicationem febrium pestilentũ instituit, cum ambabus speciebus vacuationis, phlebotomia scilicet,& pharmacia, quæ pillulis cochijs exerceri debet. Et quanquam Cels. 3. lib. cap. 7. parcius esse demendum sanguinem & ducendam aluum monuerit, quia morbus sua venefica conditione vires frangit,nõ est quòd proinde purgationẽ aut sanguinis missionem vetuerit, quæ maximorũ morborũ remedia sunt præcipua:siue studeas vacuare redundãtes succos,siue reuellere quocunque expedierit. Purgabimus igitur mitioribus medicamẽtis, vt rhabarbaro,agarico, tamarindis, decocto rosarum, & succo, electuario rosarũ Mesues & Nicolai. Quòd si sponte naturã per sudores ferri animaduerteris, haud ineptè facies si sudoribus peccantes humores foras educere tentaueris. Sicut enim licet vomitum prouocare,aut inceptum iuuare; licebit etiam alui fluxum ciere. Hippocrates enim 3. Epid. parte 3. cont. 57. purgabat, etiam si non conferrent purgationes,repugnanti malo. Refrigerãt deinde domicilia aquæ insperſu,& florum frigidorum ac siccorum fragrantium,vti rosarum,violarum, mirthi, salicum, nympheæ, santalorum,vitis pampinorum,& citoniorum. Caphurã laudat Auicenna, sed eam veluti suspectã semper neglexi: Oxycrato roranda assiduè domus,aut aqua stillatitia rosarũ. Refrigerandus deinde humorũ feruor, copioso aquæ gelidæ potu, donec in ventre sensum frigiditatis experiatur laborãs;pauca enim aqua incendit potius, ventris ardore superata: quam si vomuerint,iterũ porrige, ac si prosperè succesſerit, & melius habere videatur laborãs,huiusmodi curationem seruato; sin minus,aliam tentabis per refrigerantia & siccantia remedia, cuiusmodi erit bolus armenus dilutus in aqua oxalidis, aut endiuiæ, aut hordei, aut syrupo limonum, aut citrij, aut acetosæ, aut oxysaccharo, aut acetoso. Quos omnes syrupos aromatizabis puluere santalorum, puluere crystalli, rosarum, diamargaritonis frigidi, oxygalacte, aut acido sero lactis. Omne acidum, siue cibus, siue potus arcet

Cõtra Fuchsium primo Aphor. 23.

peſtilentiam, & demum quæ refrigerant & ſiccant (modò non aſtringant) quoniam hæc feruorem humorum coercẽt, ac temperant. Ita notauit Auicenna: & cibi eorum ſint ex acidis & deſiccatiuis, Razium imitatus, qui vua acerba, citria acida, rhus Syriacum, mala cotonea, acida punica, lenticulam, intybum, ſolanum, ſpodium, pſyllium, oxyacantham dari iubet. Laudat inſuper coriannum, ziziphaq́; ſed hæc quòd partim ſint dulcia, partim calida, vituperanda ſunt, quemadmodum & ficus, paſſæ, vuæ penſiles, melones dulces, & ſimilia; licet coriannum ex Arabum fortaſſe ſententia frigidum exiſtimetur. His omnibus inſpiſſare ſanguinem ſtudet Razius, ne promptè ebulliat, & feruore ſuo peſtilentem producat febrem; neque his ſolis remedijs inſiſteret, ſed opio confectis medicamentis vteretur, niſi caloris natiui pertimeſceret extinctionem. Quando verò bilioſam peſtem, quam eulogiam dici ſignificauimus, coniectatur, refrigerantibus & humectantibus vti conſuluit, vt maluis, lactucis, blitis, lapathis, tetranguris, ac piſcibus. Quæ quidem cùm ſua conſtrictione ſanguinem incraſſent ac refrigerent, non poterunt non necare laborantes, obſtruendo humorum ſemitas, & craſſiorem reddendo ſanguinem; quibus apertè putredini redditur magis obnoxius. Quare mirari nunquam deſino Razium, qui id ex inſtituto viſus eſt intendiſſe: cùm potius Galenus ſtudeat aperire, inſcindere, deſiccare, ac ſuperfluos humores vacuare, & corpora perſpirationi apta facere; quò minus putreſcant humores, aut neutiquam. Deligenda ergo ſunt, meo iudicio, ex acidis illa, quę inſcindũt craſſiciem, aperiunt vias, purgant aut per vrinas, aut aluum, aut cutem ſuperfluentes humores, quemadmodum Græci ſuaſerunt ſcriptores; huiuſmodi ſunt ſyrupus acidus, & de limonibus, oxyſaccharum, cremor ptiſanæ, medicamentum ex tribus ſandalorum generibus, diamargariton frigidum, manus Chriſti, & ſimilia. Quæ verò aſtringunt vias & ſanguinem incraſſant, tunc potiſſimùm in vſum venient, cùm fatiſcere, exoluiq́; laborantes ob humorum tenuitatem olfecerimus. Rurſum ſi

extrema

extrema refrigerentur,& vſum refrigerantium ægrè ferat laborans, procurandus eſt ſudor euaporationibus antè & retrò admotis, ex ollis feruenti aqua plenis, potu aquæ eboris ſelecti, aut cornu ceruini, aut dictamni, aut tormentillæ, aut ſcabioſæ; tegumentis etiam citra anguſtiam calfacientibus, ac fomentis alijs, & frictionibus,& manuum calidarum conſtrictionibus, quibus extremæ partes conſtringantur. Demum omnibus machinis procurandus eſt ſudor, & reuocandus calor ad exteriora, madorque abſtergendus ſiccandusq; eſt. Imò verò, vbi priori ratione progreſſi, quæ refrigerare ſanguinem contendebat, nihil profecerimus, ſed ægrum iactatione fatigari & afflictari, & pulſum cordis ſuperuenire viderimus, alia via procedendum, quæ calfaciat & ſudorem promoueat per calida medicamenta, cuiuſmodi erunt fœniculi,dictamni, & tormentillæ decoctum,theriaca, alkermes, diagemmon, & diamoſchon & ſimilia. Theriaca namque ſummè laudatur apud Galenum lib. de Theriaca ad Piſonem, tam exterius, quàm interius exhibita, vbi hunc in modum ſcripſit: Simili ratione theriacen, ceu ipſa ſit ignis purgatorius, præſumentes in peſtifero aëris ſtatu neutiquam malo corripi ſinere nouimus, correptis iam poſſe mederi, aëris inſpirati malitiam inalterantem murantemq;, vt quæ corporis temperaturam magis infici prohibeat: Salubrem bonamq; temperiem corporis inducit, dum humores abſumit, partes refrigeratas calfacit, & inſitam virtutem roborat, & functiones obit naturæ. Taceo vnguenta temperantia, epithemata tum ſolida, tum liquida, poma odorata, facculos, condîta, quibus crebrò vti ſolemus in curatione aliarum febrium, cauſonis (ſcilicet) putridarum, ſimiliter & acutarum; quibus omnibus dexterè admodum vti expedit, & nullam prętermittere occaſionē, cibos exhibentes acidos, potum, aut vini albi, aut aquæ pro feruoris magnitudine & virium robore. At quia in his febribus ſolet vigere faſtidium & inappetentia,cogendi ſunt ægri ad ciborum aſſumptionē: ob id quod qui cupidè,aut ſibi vim facientes cibos aſſumpſe-

runt, ſuperſtites euaſerint ex Auicenna & Galeno 3. epid. parte 3. cont. 59. Si frigidum aërem & morbum conieceris, poteris igne aërem permutare, vti fecit Hippocrat. in ea peſte quæ ab Ægypto Græciæ fuit communicata: ob quod laudatus eſt à Galeno, & Athenienſium decreto aurea corona, publica etiam ſtatua inſignitus eſt. Id facies rore marino, iunipero, thymo, pulegio, calamintha, chamæpyti & ſimilibus incenſis. Odorata ſunt crebro ſpargenda, moſchus, lauendula, ſtœchas, ambra, galliæ, & id genus alia. Vbi verò aër calidior fuerit contrarijs, ſiue viridibus, ſiue incenſione aëris malam qualitatem corrigentibus, vtendum erit. Iam verò ſi à mala proprietate & ſecreta contagione cauſa ſit propoſitæ calamitatis, mutandus eſt locus. ira, fatigatio & reliqua quæ cogunt multum aëris inſpiratu attrahere, fugienda ſunt prorſus 2. de nat. humana contex. 4. Quid faciendum iuſſerit Hippocrat. vide 4. Acutorum, cont. 47. & 61. in quibus peſtilentes febres curaſſe videtur. Non dubitauerunt quidam vnctione peſtem abigere, ſecretam proprietatem intuentes: qua ratione commenti ſunt oleum ex infinitis propemodum rebus confectum, de quo Matthiolus: alijs verò habetur in pretio oleum ex herba tunica, ex hyperico, ex ſcorpionibus in oleo antiquiſſimo frixis, quo quidem pulſantem arteriam, cor & thoracem illinunt. Memento tandem in hiſce malis, quæ celerrimè necant, auxilia maturius eſſe vſurpanda, ac cum quadam temeritate.

Celſus lib. 3. cap. 7.

CAP. XLVI.

De ſymptomatis febrium.

NVllus eſt morbus qui cum ſymptomatis nõ incidat, quibus eius natura cognoſcitur, quæque illum ſequuntur, quemadmodum vmbra corpus: veruntamen ſeorſum de ſymptomatis agere conſueuerunt ſcriptores, non quòd diſtinctum morbum, aut febrem faciant à prædictis, ſed quòd aut morbus morbo iungatur, aut

aut ſymptoma ſymptomati, vti dolor capitis febris ardori, fluxus alui debilitati ventris, quæ febris ſecuta eſt diſtemperiem. Hæc ergo quando aut rarenter febribus accidunt, aut communem magnitudinem excedunt, quæ ſolicitudinem medici ad ſe conuertant, ſymptomata febrium ſicut aliorum morborum dicuntur. Subindè nullum ſymptoma conuertit ad ſe curationem, ſed omnis indicatio curatiua, aut à morbo, aut à cauſa ſumitur, vt ſuperius alluſimus: verùm quando ſymptoma cauſæ vicem ſuſtinet lædentis vires, aut morbi, vt vigilia, fluxus immodicus, dolor qui mutua ratione auget inflammationem & ab ea augetur, conuertit ad ſe curationem ſicut morbus & cauſa. Semper tamen verum eſt axioma ſuperius exaratum, quod omnem indicationem curatoriam à morbo ſeu cauſa ſumi ſignificauit: ſiquidem tunc ſymptomata cauſæ rationem habent. Primas ſibi vendicat ſyncope & lipothymia, quæ longè lateq; diſcrepare videntur; quanquam à Barbaris ſæpius confunduntur, non ſine totius rei medicinalis detrimento & iactura. Syncope namque virium eſt vitalium ſubita iactura, quam ex pulſus debilitate ſolùm agnoſces, cum qua mens & ſenſus ſalui eſſe poſſunt: lipothymia verò defectus eſt virium à neruis & lacertis, hoc eſt, mouentis & cognoſcentis virtutis, hæcq; ſolet in aliam tranſire, ſi malum in deterius commutetur: quòd ſi ſimul coierint, deerunt pulſus & animalis facultas. Sed de hac differentia nos abundè fecimus lib. De ſangui. miſſ. quem dudum edidimus. Cæterùm à varijs cauſis poſſunt oriri: nam aut præ nimio dolore, aut fluxu immodico, aut motu, aut vigilia, aut diſtemperie partium principum: quæ aut ex frigidis, aut calidis cauſis tam externis quàm internis proficiſcuntur: omnes enim cauſas in has vltimas duas reduxit Auerrous 7. coll. cap. 16.

Signa tam cõmunia quàm propria, dum communem magnitudinẽ excedunt, & ſolicitos nos faciunt, cõſtituunt morbũ aut febrẽ cum ſymptomate.

Syncope. Lypothymia.

CAP. XLVII.

De ſignis ſyncopæ ex crudis ſuccis.

MEmoratu digna eſt affectio, quæ ex crudis multisq; ſuccis oritur, quam dignoſces ex plumbaceo colore, aut aquoſiori, & oris ventriculi offenſa, vnà cum totius corporis intumeſcentia inſolita, pulſu paruo & inæquali, & ſi multum exceſſerint crudi ſucci, tardo & raro, vti notauimus cap. De ſignis feb. putridarum: ex prægreſſis etiam cauſis & aëre frigido in quo hactenus vixit, ex eſu ciborum & potuum frigidorum, ex otio, & ſuppreſſa frigidorum vacuatione. Medentur huic malo Auicenna, Galenus, Paulus, Aëtius, Oribaſius, Trallianus & Auerrous ſolis frictionibus per totum diem, tantumq; temporis intermittunt, quantum ſomno capiendo ſit ſatis; quanquam nec illum voluerunt liberaliorem eſſe: ob id quòd vigilia iuuet nimium diſſipationem humorum, quam maximè intendimus. Statuatur igitur laborans in domicilio non admodum calido, nec admodum frigido, quoniam calidum diſſoluit vires, & fundit humores, quos facit præcipites in partes præcipuas; frigidum verò cõſtringit cutem, & impedit quam molimur diſſipationem humorum. Sit igitur æſtate ad modicè frigidum declinans, & hieme ad calidius paulò: deinde fricentur crura ſupernè deorſum panno aſpero mediocriter, à genibus verſus pedes primùm, deinde ab inguinibus verſus genua, ſecundò eodem ordine brachia, tertiò dorſum: poſt regreditur Galenus ad crura, & ita deinceps vt antea. Auicenna pectus quoque poſt dorſum fricat, ego potius ventrem. Si interim partes contrectatæ doleant, veluti inflammatæ, eædem refricandæ ſunt oleo pingui rarefaciente, vt chamæmalino, aut anethino, aut ſycionio, de quo Dios: nam ſycionium Pauli ex radice fit cucumeris ſilueſtris. Poſt, ſola aqua mulſa aut oxymelite vtitur per tres dies, & vſque ad ſeptem. Hoc pacto procedes, ſi nihil occurrat incõmodi: quod ſi hanc inediam non ferant, quòd crudi ſucci & mucilaginoſi

in ſan-

in ſanguinem tranſire non valeant, valentius ſunt nutriendi, pullis ſcilicet, iure, aut ſucco carnium. Atque hoc pacto deſinet admirari Trallianus, qui nunquam deuorauit poſſe hominem tantã frictionem, violentiamq; & inediam ſuſtinere: quanquam conſultius & tolerabilius eſſe exiſtimauerim, ſi moderatius fricueris, & rurſus viciſſim nutrias, etiam pane ex vino, vbi pertimeſcis ſyncopen, aut ea iam laborãs premitur. Sed adhuc illud laudarem, quod Auerrous de curatione putrid. de phlegmaticis & melancholicis febribus inſunxit obſeruandum; quæ quòd ſoleant eſſe malæ terminationis, iubet abſque expectatione coctionis vacuare, præcedentibus medicamentis inſcindentibus per hebdomadam, atque hoc in ſua regione eſſe conſultum, quidquid Galenus in ſua exercuiſſet. Tanta namque copia crudorum ſuccorum quo pacto per cutem educetur? frictio ſuperficiem ſolam vacuat, non vaſa, quę ſola purgatione inanientur: adde quòd frictio obturabit vaſa anguſtiora ampliùs, atque eadem prohibetur in pleno corpore, ſicut & balneum 4. de Sanit. tuen. & 11. Method. Trallianus hoc obſeruat, his verbis: Si humor vſq; adeò increuerit, vt periculum adſit ſuffocationis, nõ abſurdum eſt modicum ſubtrahere, & grauatas vires leuare: ita enim contingit in igne, qui cùm præ copia lignorum viridium ſuffocationi eſt proximus, paucis demptis emicat, atque hoc eſt illud: ἐιμὲν ἡ δύναμις ἔρρωται, ἡ πλῆθος εἴη πάνυ πολὺ τὸ λυποῦν. hoc eſt, ſi vires valent, & multum ſit quod moleſtat. Quòd ſi præ virium languore id fieri prohibeatur, fiet quod poteſt, & quacunque liceat ratione, vrgenti periculo eſt obuiandum: frictionibus ſaltem, quæ etſi craſſos viſcidosq; humores ad cutaneas partes allicientes, obſtructiones ingenerare credantur (par enim eſt, vt eadem humorum vitia in anguſtioribus vaſis magis oppleant) tamen in præcipiti periculo rectè fiunt, quæ aliâs eſſent omittenda, & vitantes maius periculũ quod ex obſtructionibus intimarum partium, & præcipuis vicinarum pendet, ignobiliorum noxas amplexabimur. Contraria ratione medebimur ſyncopæ ex tenuibus humoribus profectæ, Trall. lib. 12.

ctæ,aut ex ſuperflua quauis vacuatione: namq; horum artus non ligabimus, aut fricabimus, ſed potius in omni quiete ſiſtere imperandum eſt. Foris præterea & intus admouenda erunt quæ ſuccos incraſſent, & exhalationem inhibeant; hocq; fiet vnctionibus aſtringẽtibus,oleo mirthino, citoniorum, omphacino, inſperſo puluere roſarum, aut rhois, aut ſimilium.Refrigerãda domus,& cooperimentis non niſi paucis ac leuibus vtatur, epithematis, tum liquidis ex aquis frigidis & pulueribus,tum ſolidis,ſeu cataplaſmatis inſtar compoſitis:temperanda præcipua membra, teſtes inquam, quorum temperies maximè totum corpus temperat, cor, hepar, & ipſum cerebrum. Interius ſumantur, non quæ attenuant, vt oxymeli, aut aqua mulſa, ſed ptiſana,aut alica,carnes cum vuæ acerbæ ſucco,aut panpinorum: dentur citonia, pira,vuæ acerbæ & ſimilia. Quòd ſi quis rogauerit, cur vtrobique largiamur ptiſanam & alicam, cùm contrariæ ſint cauſæ: reſpõdemus in priori affectione ptiſanam dari conditam (ex Gal. ſententia lib.de Ptiſana) cum porro aut anetho,alicam cum melle aut pipere: in hac verò fine condimentis eaſdem porrigimus,ſicut in ſiccis affectionibus præceptum eſt 7.lib.Method. Eâdem ratione videtur eſſe ſuccurrẽdus defectus quilibet ex immodica vacuatione, ſiue ſenſibili, vt poſt fluxum ventris,ſudorem, & hæmorrhagiam, ſiue inſenſibili, vt ea de qua dictum eſt,cum qua *συντήξεις*, id eſt, colliquationes coniungimus: quibus refrigerantibus obſiſtimus intus & foris, non ſola aqua frigida, ſed & alijs etiam refrigerantibus medicamentis vſui magis accommodatis. Hoc autem diſcrimen inter febres colliquantes & hecticas aſſignare libet, quòd hæ latenter deſiccẽt, illæ verò conſpicuè,de quibus 10. Method. ad finem: colliquationem autem cognoſcimus ex dejectione oleoſa aut pingui.

In vtraq; affectione vinum tenue & fluuum diſtributionis gratia cõceditur.

CAP.

CAP. XLVIII.

De doloribus.

NIhil nunc de hoc ſymptomate præter eius curationem adducemus, enarratis eius in primis differentijs, quas ad quatuor tantùm ſemper reduximus: dolorem nempè mordacem, grauantem, pulſantem, & tendentem, & qui ex his inuicem componuntur: inuenias alibi ſcriptos ferientes, pungentes, torporem inducentes, intermiſſos & continuos, qui ſanè prædictam diuiſionem non perturbant, ferientes ſiquidem pungentesq; ad mordaces referas, ſtuporem inducentes potiùs dicunt coniunctam paſſionem, neruorum nempè hebetatum ſenſum & motum exolutum, quàm doloris differẽtiam; de qua re ipſe met Galenus 2. De locis patien. diſſeruit, quidquid ſui oblitus, 6. Aphor. 5. innuerit: continui demum & intermiſſi non variant curationem, cùm ab eiſdem proficiſcantur cauſis. Dolor igitur vbicunq; adfuerit, ſi cum plenitudine torqueat (quod cognoſces ex prægreſſa diæta, quæ vberem ſuppeditauit humorum copiam, & ex præſentibus indicijs, venarum turgore, pulſu pleno, & magno tenſionis ſenſu, ac grauitatis notis, quæ in ſenſibilibus partibus ex ipſo ponderis ſenſu noſcitur, in alijs verò ex pulſu inæquali, vt oſtendimus libro De ſang. miſſione) vacuandũ eſt corpus ſanguinis miſſione, quæ citius & magis reuellat & vacuet, quod fiet ex vena eiuſdem lateris & aliquantulum propinqua parti patienti. Si vitioſus fuerit humor, purgatione eſt opus; & ſi vtrunq; vitium infeſtauerit à ſanguinis miſſione exorſi, ſecundo loco expurgabimus corpus. Si accidat interim, vt (quod vulgo dicitur) debitè rectus appareat homo, ac paulatim aceruauerit humorum copiam, tunc ego præcipuè (ſi quando aliâs properandum ad venæ ſectionem duxi) ſanguinem vacuo, vbi hanc viuendi rationem, quæ carnes ſelegit, nactus fuero, quæq; idoneo tẽpore cibos capit, nec antequam prius ingeſtos ſenſerit eſſe coctos, quæ inſuper vinum optimum vndelibet ſibi parat,

4 genera

neque permittit ſibi ſomnum interrumpi. Eo enim tempore, vt inquit Gal. 3. Epid. parte 3. in hiſtoria Lariſſæ calui, non aduertentibus hominibus quãtitatem & qualitatem ciborum, abundantia paulatim coaceruatur, atque hos non minus ac primos vacuare decet, & non ſtatim reprimentibus vti, quæ ſuccos intrò pellunt, & fortaſſe in partes nobiles; prius enim vniuerſum corpus vacuare oportet, cùm neque calfacientibus & humectantibus (quæ dolorem ſedant) neque repellẽtibus, pleno exiſtente corpore, vti liceat. 6. De compoſ. phar. ſecundum locos & 3. Technes. Vacuato igitur corpore ſi perſeueret dolor, reuulſionibus, frictionibus, ligationibus, clyſteribus, & ſuppoſitorijs vtere, acdeinde anodynis exquiſitis, quæ temperatè calfaciunt, huiuſmodi ſunt oleum chamæmalinum, anethinum, præſertim ex viridi concinnatum, & ioſeminum ex axungia anſerina, gallinacea & anatis. Irrigatione etiam ſeu fomentis vtendum ex decocto chamæmali cum oleo, & eiuſdem decoctionis inſeſſu. Si his nõ placatur dolor, tranſeundum ad ſecundi generis anodyna, quæ minus propriè anodyna dicuntur, qualia ſunt quæ digerere ſunt nata humorem, doloris auctorem, vt oleum anethinum ex ſicco confectum, irinum, lilij albi, caſtorei, & vulpis, vnguenta etiam ex eiſdem oleis cum cera parata; fomenta ex eiſdem herbis, ſtœchade, betonica, maiorana, chamæpyti, pulegio, calamintha, lauro & alijs; ſaculi etiam aut emplaſtra ex eiſdem. Hîc tamen monet Galenus (quem omnes ſequuntur ſcriptores) ne flatuoſos dolores valde calidis medicamentis expugnemus, quoniam licet reſoluant præſentes, regignunt alios, & dolorem reuerti faciunt: ſed ſint inſcindentia matrem doloris pituitam, modicè calfaciendo: quod præſtanter facit oxymel, mel, aqua mulſa, fœnum græcum, furfures, miſtis ſimul valdè calidis, cuiuſmodi ſunt rutha, laurus, centaurium, carui, anethum, cum humida aliqua herba & attenuanti: Confice in hunc modum. ℞. fœni græci, lauri & altheæ añ. coque in aqua cum modico vino albo, aut ex eiſdem confice emplaſtrum. Poſtremò theriaca tanti eſt

iuua-

iuuamenti, ac tam multiplicis vſus, vt nulli non ferè conueniat paſſioni; quare eius vſum laudo, præſertim vbi non fuerit nimius ardor, caſtoreum item, belzoinum ſeu aſſam, & aquam vini. Quòd ſi neque his ceſſerit dolor, neque admotis etiam cucurbitulis cum ſcarificatu & ſine eo, prout conducere ſenſerit peritus medicus, quas in flatuoſis doloribus expedire magis expertus eſt Galenus, ad tertium genus anodynorum quæ narcotica, ſeu ſtupefacientia dicuntur, perueniẽdum; vtpote vnguẽtum populeon, quo vel dolore renum, aut ilium laborantes non dubitamus inungere, cuius vires interdum exacuimus opij granis duobus aut tribus additis, philonio etiam, cuius laudes nondum abſoluit Galenus, cuius aut ʒ. ſemiſſem aut ʒ. vnam damus; in colicis etiam doloribus, qui à cauſis frigidis originem ſolent ducere, conueniunt. In teneſmis vtimur ſuppoſitorijs ex ſtyrace, theriacáve, cum opij granis tribus aut quatuor; & ſi opus eſt, terebinthinæ modico ad ſoliditatem medicamenti adhibito; aut ſuppoſitorio ex hiera picra ſuperadditis opij eiſdem granis. Repetimus inſeſſiones ex decoctis herbarum conducentium, quæ non leuem vtilitatem præſtare ſolent. In capite repellẽtibus vtimur, oxyrhodino ſcilicet, & ſi ardor vincit, addimus plus aceti, aut ſuccorum intybi, portulacæ, lactucæ, & cotylidonis: lacte vtitur Auicenna, cuius vſum cauẽdum cenſeo, nam foris obturat, & nihil ferè temperat. Addimus diſſoluentia modico repulſui, vtpote mentham cum roſaceo piſtam, aut meliſam, aut id genus alia, de quibus 1. ad Glauconem. Vltimò totum ipſum caput raſum prius diſſoluentibus lauamus. Vtimur etiam cucurbitulis in dorſo, ſcapulis, & poſtremò in occipite, ad quarum vſum remiſſiones paroxyſmorum expectant. Ego tamen in tanto rerum conflictu, in nullo horum ſymptomatum, quod ob magnitudinem medici curam ad ſe allicit, nullum aliud opperirer tempus, præter oblatam occaſionem: nam vel ad ſanguinis miſſionem exercendam (ſolis demptis febribus) quando maximus eſt dolor, properat Galenus. Fricant etiam & ligant extrema, ſed Auicenna teſticu-

los. Quòd ſi adeſt catarrhos aut coriza, cautius aggredere curationem, nec pigeat quæ ad eas paſſiones ſuis locis ſcribuntur, prius experiri. In renum doloribus, poſt alias vacuationes, quas par eſt iam eſſe peractas ad totius corporis vacuationem, extrahatur ſanguis ex malleolis ſeruata rectitudine; plurimum enim iuuamenti adfert huiuſmodi venæ ſectio, & ad reuellendos ſuccos deorſum, & ad tollendam vexationẽ, quæ crebrò lumbos febrientium vexat. Poſtea ex ænæleo, hoc eſt, in duabus partibus vini albi & vnica olei tepefactis madefacto panno duplici bis terve lumbos madefaciemus, tanquam præſentaneo remedio. Sacculis, emplaſtris ex ſemine lini, fœnu græco, & clyſteribus vtemur detergentibus ex fœni græci, furfurum & chamæmali decocto ac melle roſaceo, oleo roſaceo aut violaceo. Si adhuc pertinaciter doleant, hoc inungimus vnguento. ℞. olei amygdalarum & lilij albi ana ℥. ß. axungiæ gallinæ tantundem, cum ceræ quarta fiat vnguentum. Repete clyſterem, cui adde ſucci betæ & radicis cucumeris ſylueſtris añ ℥ ß. nitri ʒ. j. Quòd ſi perſeueret malum, vtere cucurbitulis cum ſcarificatu; quod laudo remedium, ſicut rurſum vitupero eos, qui vnguento roſaceo, aut frigidiori alio medicamẽto temerè vtuntur: cùm præceptum ſit ne ab ignobilioribus partibus ad nobiles transferamus humores: tranſactis iam morborum periculis non moror, an eo vtaris: quò diſtemperiem calidam ſiqua manet, inhæreſcentem depellas prorſus.

7. Method.

CAP. XLIX.

De Vigilijs.

SOlet vigilia laborantes maximè cruciare, quam ſic oportet permulcere. Primùm frontem ac tempora inungimus oleo violarũ, nympheæ & papauerum in lanæ hapſo, aut panniculo duplici excepto, naribus ſimul inunctis; apponimus hyoſciami, mandragoræ, aut ſimilium fruticem ipſum, aut radicem, quo expirans odor ſomnũ alliciat. Vngimus loca eadem vnguento populeone modicè calfa-

calfacto; & ſi adhuc malum non ceſſerit, augemus vires, opij granis duobus aut pluribus. Lauamus ſinciput, faciem ipſam & os decocto calycũ papaueris albi, ſeminis eiuſdẽ & hyoſciami. Interea pertimeſcẽtes aſcenſum acriũ vaporum ſurſum, lauamus pedes balneo ex decocto chamæmali, maioranæ, & ſimilium, aut ſola aqua calida. Fatigamus interdũ laborantẽ, quò fatigatus requieſcat, quemadmodũ ſanis hominibus vſu venit, & crebrò exercitatis. Fatigabat ægrũ Hipp. 6. Epid. parte. 4. cont. 16. cogens ſtare apertis oculis: Somnus (inquit) ſtabilis, rectorum nictatio. Atq; exinde Auicẽna, Aëtius, Paulus & Oribaſius præcipiũt vt ligentur, fricẽtur, & lucernæ plures accendantur, præbeanturq; tenendæ ipſis laborãtibus, donec defatigati dormire ardẽter cupiãt; aperireq; & claudere oculos cogunt; id enim ſibi vult nictatio, quæ ampliùs fatigat. Iube ne dormiant, nãm vetita plerunque appetũtur intenſius. Præbent Paulus & Oribaſ. in iuſculis ſeminis papaueris cochlearia tria: quod nos facimus in amygdalato, aut in parata alia cœna admiſcentes, nonnunquam verò cõdimus ad hunc modum. ℞. ſacchari roſacei, viola. meliſſæ, aut borragi. ana ʒ ß. pulueris ſeminis papaueris albi & fœniculi ana ʒ iij. fiat cõditum cum auri laminis quatuor aut quinque, & ſaccharo quod ſatis ſit, de quo dormituro præbeas cochlearium. Et in ouo ſorbili poteris dare pulueris ſeminis papaueris nigri ʒ. j. In minutalibus ſeu acetarijs permiſcere quoque poteris papauera ipſa ſi ſint viridia cum borragine, aut lactucis, aut cichorio incocto: ſin minus, ſparge ſeminis papaueris albi ʒ j. aut ij. Donamus linctus ſeu eclegmatis ex papauere cochlearia tria aut quatuor, ad quod exhibendum remiſſionem acceſſionis ſeruant Paulus & Oribaſ. Sed cur id faciant ignoro; quo enim tẽpore neceſſarius eſt ſomnus, aut deficere videtur, eo exiſtimo adhibenda remedia, noctu potiſſimùm, mane ſecundo loco. Suffumigio vtitur Paulus ex rebus calidis cum opio, vti ℞. ſtyracis ℥ j. opij g. iiij. fiat maſſa, quæ prunis ex cupreſſo incendatur: cauet tamen ne caput ſit ex his quę facile replẽtur, quod rectè quidem cauetur.

Ruimus in vetita, cupimuſque negata. ait ille.

Ego ſoleo hoc vti malagmate: ℞. radicis mandragoræ aut hyoſciami, calycum papaueris albi ana, torreantur deinde ac terantur cum vino & roſaceo quantum ſatis ſit, apponanturq; fronti & temporibus; quanquam efficacius erit ex eiſdem non toſtis. Aliquando prudens dedi caſſiæ fiſtulæ ℥ j. in aqua tepida, & maxima cum diligentia imperabam vigilias; ſed clanculum ſeruos monebam, vt dum ſomnus obreperet, tacitè ianuis clauſis & extinctis lucernis foras exirent, & dormire laborantem ſinerent. Demum deſperata re, ſoleo in aqua lactucarum aut tepida diſſoluere philonij ʒ. ß. aut opij grana iij. aut iiij. quo remedio vigilia languidos ſe reſtituiſſe auctor eſt Galenus de Theriaca ad Piſonem. Ego ſanè Pinti quandam, Compluti alteram fœminam, ac filiũ Georgij Paez ab orco reuocaui philonij potione: quo tempore delirio & vigilijs premebantur maximis; adeò, vt adeuntes impeterent audacter. Prouocãt etiam ſomnum lenes aquarum ſuſurri, cantilenæ, quas ferre valeat febris ardor, lectio rerum oblectantium, cœna largior & ad dormiendum apta.

CAP. L.

De linguæ ſcabritie ac ſiti.

SItis aut humiditatis inopia, aut calore feruenti fit: in febribus de quibus loquimur vtraque ratione contingit, cuius remedium potiſſimũ eſſet potus; verùm quoniam in principijs & augmentis acceſſionum prohibetur maximè, licet in vigore & declinatione admittatur, excogitauerunt ſcriptores remedia, quibus eiuſmodi ſitim interim ſedaremus. In primis igitur iubeamus tacere, quoniam calefacit motus, os claudere, quòd aëris ingreſſus humiditatem deſiccet, ventus ſit frigidus, potus ſuo tempore oblatus: ita de his Hipp. 6. Epid. parte 3. cont. 33. Siti carentẽ tacere, os claudere, ventum cum potu introducere. In latus decumbat, quoniam ſupinus accubitus exiccat, humectetur os, detergantur ſordes. Humectabitur irrigato ſincipite oleo frigido

frigido aut roſaceo ex alto delabenti, oxyrrhodino lana impoſito: edat aut portulacas, aut earum ſemen, aut lactucę, vtatur tragacantha in oui crudi albumine diſſoluta, & cum ſemine cucumeris contrita, ex qua fiat pillula, quæ teneatur in ore, & ſaliua deglutiatur. Conducit nucleus prunorum, aut myxorum ore tentus, lauare os decocto pſyllij, ſeminis lini aut portulacæ, ſucco mali granati dulcacidi. Ego ſanè dum cerno aliquem improba ſiti laborare, intempeſtiuè etiam in ipſa acceſſione, non dubito aquam eucratam, tepidámve largiri. Præter cætera ſcabritiem aufert deterſio cum ſpongia poſtquàm maduerit aut in poſca, aut in decocto aliquo ex præfatis, aut cochleario ex oleo amygdalarum dulcium, aut roſaceo cum ſaccharo, aut butyro aut axungia anſeris, gallinæ, aut phaſiani liquatis, deinde aut ſpongia, aut ex ſparto concinnato verriculo lingua fricetur. Nonnulli laudant ſaccharum, quod ſalem Indicum appellant, ſed illud vel aqua madens porrigimus, aut in nimis torrida lingua omnino cohibemus: licet enim minus ſiticuloſum ſit melle, ſuam tamẽ ſitim infert, ſicut & glycyrhiza, quam ſæpè expertus ſum ſiticuloſam, preſertim ſiccam. Prouideamus interim hypochondrijs cum his quæ refrigerant, vnguentis, epithematis, & aẽre frigido. Vitentur aſtringentia valdè, quæ linguam ſiccant, ſed ſint potius omnia ad mollitiem declinantia: interim tamen exhibent decoctum cydoniorum, omphacij ſuccum ac pirorum. Si à ſiccitate naſcatur ſitis, ſomno ſedandam præcipit Paulus, fortaſſe ex illo Aphor. 27. quintæ ſectionis: ſi autem ex calore, vigilia, quòd ea foras calorem trudat, quod quidem in ſanis eſſe intelligendum Aëtius notat. Sed Galeno auctore prædicto Aphor. ſi moderata ſit ſitis, ſomno tollitur, cocto ſcilicet ſucco, ſitis cauſa: ſi verò ſit nimia, potu. Sed de his præter inſtitutum fortaſſe, non tamen ſine iuſta occaſione.

CAP.

CAP. LI.

De inappetentia ſeu cibi faſtidio & nauſea.

GEnerari ſolet inappetentia totidem de cauſis, quot gignitur appetentia, ſed contraria ratione : nempè aut non facta inanitione in membris, quod fit humorum craſſorum & viſcidorum copia, pororum anguſtia, aut quòd ſuctus non ſentiatur in ventriculo, idq; vitiolorum humorum præſentia, aut diſtemperantia habituali,
2. Aphor. 28. quæ malè ventriculum habet. Si contigerit ex eo quòd non facta eſt inanitio, poſt vacuationes, quæ corpus inaniunt, fricanda eſt cutis corporis, & oleis aperienda, totumq; corpus exercendum, largiendaq; medicamenta quæ exudare faciãt. At ſi ob ſuccos ventriculum occupantes accidit, expurgandi ſunt & corrigendi contrarijs; ſemper tamen cauentibus nobis, ne nimium aſtringentibus vtamur aut foris aut intus, quoniam magis inpingunt humores tunicis ventriculi, & eos reddunt vacuatu pertinaciores. Exhibe igitur oxymeli aut ſyrupum ex granatis. Vacua vomitu. Quòd ſi minus obedierint, hieræ ſimp. Galeni duas treſve pillulas exhibe: Vnge foris oleo abſynthij, nardino, maſtichino, aut eiſdem temperatis oleo cytoniorum, aut omphacij ſucco, ſi ardor percipiatur. Si ob nudam proueniat diſtemperiem, tempera, vti temperatur ventriculus nudis qualitatibus diſtemperatus, 7. Method. contrarijs ſcilicet. Ergo in morbis acutis non magnoperè curãdum eſt, appetat ventriculus nec ne; quoniam pauciſſimis hisq; oleraceis, aut fructibus, aut potibus ſeu ſorbitionibus ſuſtinendus eſt æger ad ſtatum vſque. Si verò diuturnus ſit morbus, malum eſt indiciũ faſtidium, ex 7. Aphor. 5. quod ego ſatis expertus ſum in Epidemica illa lue, quæ totam hanc Carpetaniam anno 1545. & 46. vexauit, quo tempore maxima pars hominum ſubibat necis periculum, præ faſtidio vehementiſſimo quo maximè premebantur. Ergo odorata admouentur pro laborantium voto; placere enim eis oportet, ita vt eſculenta & poculenta mundè parẽtur omnia, miniſtri,

miniſtri, domiciliumq; arrideant, 6. Epid. parte 4. contex. 4. Liceat igitur illis fructus aliquos præmandere auſteros, vt mala granata, narantia, ceraſa acida, olera, lactucas, radicem, ſionem, cepas tenerrimas & inſipidas, aut prius aqua maceratas. Liceat etiam ſalſamentis vti, vtpote oliuarum ſalſamētis, & piſcium oxygaro, ex petroſelino, ſinapi, mentha, hormino & ſimilibus. Offerantur aſſa boni odoris, vt caro ſuilla macerata prius oxycrato: donandaq; paulò deteriora alimenta, dummodo placeas, abſque inemendabili noxa. Edant lurcones & guloſi homines coram ægrotantibus; vt ſua illa deuorandi cupiditate excitent illorum appetentiam. Ventriculum, ſi vomitu pronum ſenſeris ſordibusq; ſcatuerit, purga aut hiera, aut ſinapi ex melle: quære quibus vti ſoleat per ſanitatem laborans, illis etenim magis eſt ſolicitandus, exerceatur, fricetur, gaudeat, geſtetur lectica aut mula. Non prætereas interim facere (quod vel vetulæ furtim faciunt) emplaſtrorum valdè calidorum appoſitionem ex ſinapi cum melle, ex chamæpyti cum melle, ex dactylis, abſynthio, mentha cum pipere, maſtiche & ſimilibus. Cucurbitulis etiam ſine ſcarificatu interdum vtere. Vinum dona dilutum pro morbi ratione, & conſuetudine. Acetum ſcyllites ſolet eſſe maximè præſentaneum remedium, deturbans fortiter ſi quid eſt in ventriculo limoſum & putridum. Poſtremò adhortandi ſunt ad cibos, & interdum corripiendi à viris præſtantioribus & quos reuereantur: interdum incutiendus eſt timor, ne ſi puſillanimitate deſinant mandere, fortaſſe moriantur: narrabisq; illud Galeni 3. Epid. parte 3. cont. 58. quo loco plurimos refert fame interemptos, ſolosq; illos euaſiſſe, qui ſibi vim faciebant & mandebant. Demum cogendi ſunt violentia, vellicanda barba, capilli, fricanda ligandaq; extrema, conſtringendi digiti adeò vt frangi videantur: quo præ timore ad cibos capeſſendos incitentur. Quod certè non rarò mihi profuit, vt ex hiſce duabus hiſtorijs, quas ex multis narrabo, cognoſces. Quidam Rezio nomine, ſolo faſtidio mori mihi videbatur, quòd morbus eſſet exiguus, tametſi longus: is nullis

precibus, nullisq; vxoris & filiorum lachrymis, ad ciborum assumptionem commoueri poterat, quem cùm ego (vt ex more habebam) inuiserem, inueni profectò languidissimũ, percontatusq;, vnde tantus languor & virium prostratio, respondetur non sine luctu, non posse vlla via ægrum cibos deglutire. Ego verò, vt qui magnoperè ægrè ferrem præ ignauia hominem mortem obire, ius gallinæ offerens illi maximè detrectanti, deprehẽdi digitum annularem, adeoq; fortiter cõstringebam, vt ni cederet, fracturam interminarer; vixq; fracto digito exorbuit, sed deinceps præ timore me nunquam ieiunus spectauit. Quædam alia fœmina sexagenaria desponderat iam animum præ languore & fastidio quibus vehemẽter premebatur, extremumq; sacramentum festinanter petierat, & cucullam monachalem sancti Francisci festinanter se induerat, in qua religiose moreretur: ad quam cùm ego ingrederer, atque sedentem in lecto & ita vestitam offenderem, hinc & inde multis incẽsis lucernis, & plurimis circumcirca positis sanctorum imaginibus, dolui vehementer, quòd tam miserè periret, nolens sibi vim inferre, & oblatos cibos sumere: iratus inde aio, minimè putet hac religione apertam sibi esse cælorum ianuam, quin potius habere irascentem Deum, propterea quòd pauperi graui fame pereunti nollet subuenire, pauperrimumq; suum esse corpus, cui non minus quàm egenis quibusq; opitulari deberet. Quamobrem monebam me rem magistratibus delaturum, ipsiusq; desperationem ostensurum, & nec vlla ratione in sacram ædem admitteretur, impetraturum. His dictis, abij iram simulans, & certè nõ mentior, duris illis minis vsque adeò commota fuit, vt oblatos cibos libenter assumeret: quò factum est, vt tertio die ad domus ianuam sedens cum vicinis gauderet, præter plurimorum opinionem. Nauseam vacuatione, vomitu, roborantibus persanabis, quemadmodum inappetentiam, reuulsionibus, etiam clysteribus, extremorum frictionibus: & si factis alijs adhuc perseueret ventriculi subuersio cibum renuens, cucurbita admouebitur ventriculo, qua affixa edet laborans, nisi multi sit & nimium acuti sensus.

CAP. LII.

De appetitu canino.

MAgna ex parte ſolet hoc ſymptoma conualeſcentibus ex morbo aliquo ſuperuenire, quemadmodum in Comite de Haro proximis hiſce diebus euenit. Fit autem, quia vehemens eſt membrorum inanitio, aut ob frigidos, acidosq; ſuccos, qui in ventriculo motum ſuctui naturali ſimilem efficiunt. Paulus docet mederi huic ſecundæ cauſæ, exhibitis ſalſis & detergentibus, vino copioſo, rebus dulcibus: quanquam poſtea cum Galen. 2. Aphor. 21. ab oleoſis & pinguibus incœpta cœna, vinum illud calidum nihil habens aſtrictionis propinat. Salſa tamen & dulcia non laudo, vt quæ proritare valeant appetentiam, quæq; nec Oribaſius admiſit, à quo Paulus ſua ſemper mutuatus eſt. Dabis ergo illis butyrum vaccinum, offas duas aut tres ex oleo ſine ſale, ius pingue, ex pane aſſulas pinguedine carnium liquata perunctas, carnes ſuillas pingues, arietinas & conſimiles, ſed pinguiſſimas. Poſtea bibat vinum potens, donabisq; diatrionpipereonem, piper ipſum, ſinapis grana in aquæ mellis modico. Pinguia enim omnia licet non medeantur morbo, hebetant tamen ariditatem ſuccorum, & appetentiam ventriculi: quo fit, vt parciori cibo contenta facultas, vitioſos concoquat ſuccos. Acria verò recta ratione medentur. Vnde dum Aphoriſmo prædicto Galenus vetat acria, legendum στυφνὰ, hoc eſt, acerba ſeu auſtera, quæ appetentiam exacuere ſolent. Vnge igitur ventriculum nardino, & ſimilibus, quæ coctionem iuuent. Quando verò poſt immodicos ſudores, ventris fluxus, aut alias vacuationes ſequitur ingens ille appetitus, quod interrogatione conſtabit, & corporis ſiccitate, oportet cutem denſare, humores incraſſare, quemadmodum cap. De ſyncope ex tenui humore ſumus profeſſi. Dabimus ergo coctu difficiles cibos, vngemusq; cutem aſtringentibus oleis.

1. de Cauſ. ſymp.

CAP. LIII.

De apparentibus exanthematis in febribus.

SIc nomino quodcunque in cutaneis particulis efflorescit, siue carnis sint extuberationes, vt apud Barbaros nuncupatæ variolæ & morbilli, siue quę Hispanicè vocamus hauas, seu ronchas, Latinè verò vibices, essere fortasse Barbaris vocatæ, siue culicum seu pulicum morsibus simillimæ maculæ, citra carnis extuberationem aut perquam exiguam, siue sudamina sint, Græcè ἱδρώτιτες, Hispanè sarpallido, siue vesicæ aut scabies. Hæc enim aut tubercula aut maculæ solent crebro vsu venire in febribus, præsagiuntque humorum ferocitatem ac rabiem, dum in ipsis febrium initijs, & crudo adhuc morbo apparent: dum verò superatis morborum causis visuntur, pulsas esse à natura causas portenditur, aut saltem illac esse pellendas. Neque decet artis peritissimos, maculas hasce magis admirari (quas passim superioribus annis experiebantur Pinciani) quàm admirarentur aut stillas sanguinis crebrò erumpentes, de quibus Galenus affirmauit humorum malignitatem & virium languorem significare, aut alui deiectiones, aut aliam quamcunque vacuationem exiguam, sed crebrò tentatam, de quibus omnibus intempestiuè factis idem affirmatum est præsagium. In quibus, Hercule, tanta creditur esse humorum malignitas & stimulus, vt corporis vires ad expulsionem accingantur ante debitum tempus, sed nequeant præ debilitate quod optant efficere. Quapropter duo sanè eiusmodi portenta demonstrant, nempè humorum sæuitiam, & virium opes exiguas, consequenterq; subesse periculum, multoque maius, quanto illa quæ expelluntur deterioris fuerint conditionis, & peioris coloris. Verum est, maculas hasce Pinciæ grassantes, quæ citra carnis extuberantiam pulicum morsibus assimilabantur, de quibus fortasse Hippocrat. 2. Epid. parte 3. Auicenna & Aëtius suo loco: maius apud me significare periculum,

lum, quàm quæ tumorem faciunt qualemcunque: propterea quòd hæc potentiùs agere vires oſtendant, & meliorem humorum obedientiam, ſiquidem maiori quantitate pelli potuerunt, quæ tumorem conſtitueret. Nihil igitur pellitur vnquàm proficuè ante coctionem, quacunque ſpecie & quocunque loco prodierit, ob rationem redditam iam, & eam, quam 4. Aphoriſmorum 22. Galenus adduxit. Cùm ergo nihil amplius iſta perdoceant, quàm morborum ſæuiſſimam conſtitutionem, maximam proculdubio medici diligentiam exigere videntur, qua id quod præſentaneum periculum interminatur auertere vehementer ſtudeat, in periculoſiſſimis & timore maximè plenis ægritudinibus periclitando. Interea tamen haud negligant medici eam indicationem quæ à loco capitur, per quem conſtat, naturam ſuam excretionem cœpiſſe; quam nimirum tunc iuuabunt, quum vniuerſum vacuauerint corpus, aut ſanguinis miſſione, aut purgatione mitiori. Nam, vt lib. De ſanguinis miſſione monui, non prohibet ſanguinis miſſionem aut aliam quamuis vacuationem, exitus puſtularum, quando in corpore adeſt copia ex Auicenna ſuo loco, & Galeno in commento illius Epid. Latæ puſtulæ quales Simon habebat, &c. Pertimeſcit porrò Aëtius, ne huiuſmodi ſpectra intrò reuerſa, periculi magnitudinem adaugeant, niſi per vomitum aut aluum humores ſeceſſerint; quod etiam ſcripſit Galenus in calce Prorhe. τὰ ἀφανιζόμενα ἐξαίφνης κακοηθέστερα, id eſt, quæ ſubitò euaneſcũt maligniora. Deinde verò conandum eſt, quemadmodum peſtilentibus obſiſtas humoribus, de qua re ſcripſimus antea, ſimiliter & qua ratione prope cutem retineantur, nempe frictione blanda, vnctioneq; foras trahentibus, ſed minimè incendentibus calorem. Illines corpus oleo & aqua & modico nitri, vt attemperando adaperias cutim, & cieas ſudorem. Dimitto nunc carbunculorum & aliarum ſerpentium puſtularum curationem, quæ à ſuis locis petenda erit. Illud interim tamen moneo, ne his contentioſe admodum repellentibus obſiſtas, nec niſi quatenus grauioribus malis impedimẽto ſis,

Lib. de locis in homine.

maiorem curam & perpetuam gerens interiorum malorum & à quibus iſta proueniunt. Niſi enim ſymptomata per ſe curationem poſtulauerint, nunquam impediunt primæ paſſionis curationem, & plerunque cum toto corpore curantur, ex Aëtio; adeò vt variolis & morbillis non eſſe ſuccurrendum tradat, ſed ſola vtendum victus contractione, & linimentis deſiccantibus farina fabarum, hordei per totum lectum ſparſa, myrtho aut oleo myrthino, aut lentiſcino, & ſi pruriant ſpongia, & aqua feruenti. Non dubitant plerique Theriacam exhibere, quod facit idem Aëtius, ſicut & reliqua alexiteria, timentes in his veneficam qualitatem: quam ſanè commodius & tutius largieris ijs, qui non admodum feruida laborant febre, nam nimio feruore afflictis conſultius porriges propotiſmata ex ſuccis limonum, arantiorum & ſimilium, quibus in peſtilenti febre vtebamur. Frica corpus, & cucurbitulas per vniuerſum corpus admoue, interdum cum ſcalpello, interdum verò abſque eo. Cibos contrahit in his Aëtius, tenuiſſimos porrigens, quod minimè ſeruandum exiſtimo in febribus illis quæ peſtiferam luem præ ſe ferunt, & ſyncopas crebrò inducunt: tunc enim cogendi ſunt ad cibos omni opera; quòd in ea morborum conſtitutione, quam depinxit Hippocrat. Epid. 3. illi ſoli euadere notentur, qui viriliter ſe geſſerint erga ciborum oblationes, & quia fames peiorem materiam reddat, vt etiam notauit Auicenna ſuo loco.

CAP. LIIII.

De ordine ſeruando in curandis ægris.

IN primis lætus ſedeas è conſpectu ægrotantis, quo ſtudioſè vultum eius contempleris, num à ſeipſo deſciuerit, & quantum; & quò poſſis citra vllam de ſalute deſponſionem peccatorum confeſſionem conſulere: dicens, hæc fore ſumenda initia, quoniam initium ſapientiæ timor domini, atque hoc eſſe tibi valdè conſuetum, & ab eccleſia

[redacted]à iniunctum præceptum, ex decretali: Cùm infirmitas corporis ſæpè ex peccato proueniat &c. Secundò tanges pulſum, diligenterq; admodum virium reliquarũ robur & differentias adnotabis: vrinam etiam contemplator, quæ duo ſunt potiſſima febrium indicia. Interroga, num aliqua occaſio prægreſſa fuerit, iuxta illud 2. Epid. τὰς ἀφορμὰς ὁκόθεν ἤρξαντο κάμνειν ἰϛέον, hoc eſt, cauſas externas à quibus laborare cœperint ſcire oportet. Signa deinde omnia, tum quæ per te ipſum inuenire potes, tum etiam quæ ex ægrotantis rogatione deprehenduntur, expendes. Quibus omnibus hinc & inde penſatis, deliberandum eſt, an mox ſit demendus ſanguis, an purgandus æger, an potius opperiri deceat, vſque ad ſecundam tertiámve diem; quò melius valeas morbum ipſum cognouiſſe, & cauſas omnes. Quod ſi facta omnium conſideratione, vacuatione corpus egere videatur, ante omnia illud facias & matura opera. Mox ſtatue victus ſpeciem & potus quantitatem, præterea etiam & horam cibationis, cura etiam vt venter exoneretur. De ſyruporum potionibus ſit vltima potius contemplatio quàm prima; odio etenim habui illos, qui confeſtim ſuis ſchedulis pharmacopolas ſalutant, ac ſi nihil illis eſſet optatius, cùm conueniat potius, cruditatem ventris deponere, plenitudinem primarum venarum pertimeſcentes; poſtea verò ſyruporum largitiones ſecunda aut tertia die inchoare, eſto ſint perquàm vtiles. Cùm autem exhibendi ſunt, nequaquam præſcripta tot antea annis quantitate porrigantur, ſed vario vti licet modo, pro patientis loci natura, pro corporis conditione ad potum propenſiſſima, pro tempore etiam aut calido aut frigido; quæ omnia ſi exactè fuerint explorata, non ſemper vncias quatuor aut quinque ſyruporum propinabis, ſed aut largius ſæpius, heminam ſcilicet, aut trientem, rarò parcius, vtpote cùm ventriculus languet & propriam deſiderat curationem. Paretur locus ægrotationi commodus, qui ſua contrarietate auxilijs à medico præſtandis opitulet: ſitque ille ventis frigidis & mundis expoſitus, ſi morbus ca-

bus calidus fuerit, cuiuſmodi eſt febris cui nunc mederi propoſuimus, niſi cauſæ obſtiterit frigida ac nimium tenax natura, quæ poſtulet auras calidas, & domicilium calidius, vti in quartanis & amphemerinis. Lectus abundè amplus ſternatur, præſertim in ardentibus, munda ſint omnia amicula, ſindones & tota domus. Iube dormientem ſuo tempore cuſtodiant taciti, vitent animi pathemata, niſi illa quandoque expedire intelligantur, quemadmodum capite, De quartana, inſinuauimus. Illud in primis impera, magnaque cum ſolicitudine obſeruandum moneas, ne famuli negligenter vnquam ſe habeant, néve graues ſint laborantibus vlla ex parte; quinimò vt diligentiſſimè exequantur quæcunque iuſſeris illis, ne ſi in quoquam defeciſſe comperiantur, culpam omnem referant, & operam ſuam ſimul cum vita laborantis perdidiſſe, meritò iudicentur. Quare haud abſurdum erit illis omnibus præiudicaſſe, nihil pro votis euenturum niſi præſto ſint, & dexterrimè paruerint medicorum mandatis, iuxta illud Hippocrat. primo Epid. Ars conſtat medico, morbo, & ægro: & Aphor. 1. Non ſolùm oportet ſe ipſum præſtare oportuna facientem, ſed & ægrum, miniſtros & quæ exterius adſunt. Poſtremò (vt aliâs adnotauimus) nouem illa ſunt tibi iterum atque iterum repetenda, imò ſemper, quòd ægrotantem viſas, ſcilicet an ſit faciendum aliquid, quid faciendum, quo tempore, per quem locum, quo ordine, quibus auxilijs, quantum oporteat educere, quantum cibum elargiri, & potum, & qualem ſimiliter ſyrupum, poſtremò quantæ ſint ægrotantis vires, quibus poſſit vberius aut parcius vacuationes, ieiunia, & cætera remedia ſuſtinere. & quanquam fortaſſe pleriſque videamur nominibus abuti, nihil obſtiterit interrogaſſe, quæ ſint laborantis opes & quantæ: quid enim proderit multa, atque eadem magni pretij imperaſſe remedia, ſi non adſunt nummi in arca, & vix poſſit laborans emere paſſerculum. Alia demum ſtatuenda pauperibus victus ſpecies, alia diuitibus, atque his ſyrupos & pharmaca maioris pre-

ris pretij præſcribes; illis verò offam panis in aqua calida, lactucas, decoctum prunorum & hordei & ſimilia. Pauperrimis ergo ſubinde præſcribes pharmaca, diaprunôn ʒ ij. cum diacrydij granis duobus aut tribus, aut diaphœnicôn ſemunciam, aut electuarij roſacei ʒ iiij. aut ſaccharum roſaceum ſcammonij granulis tribus aut quatuor commiſtum, aut coquas in cotoneo ʒ ij. ſcammonij & maſticis ʒ j. & deinde forma trochiſcos pondo drachmæ vnius, iuxta Galen lib. De experimentis medicinalibus, aut ptiſanam cum ſcammonij quatuor aut quinque granis, & ex eiuſdem Galen. præcepto. 14. Method. ſerum lactis ſimiliter paratum; quæ omnia viliſſimo pretio ſibi profectò comparare poterunt vel ij qui pauperiores eſſent Iro. Rurſum diuitibus, quorum honos & gloria in emendis carius remedijs ſæpius ſtatuitur, epithemata, vnguenta, thymiamata, condita, non ſine ambaro, moſcho, auro gemmisque maximi pretij, cuiuſmodi ſunt ſmaragdus, ſaphyrus, & ſimiles. Ac ſi pharmaco opus eſſe videatur, interſit rhabarbarum, manna, caſſia nigra, & ſi quæ ſunt alia, quæ non ſine nummorum & arcæ diſpendio valeant accedere. Idque ſcitè admodum & callidius procurandum eſt: aut ſimulata penuria præſentium pharmacopolarum, aut medicamentorum vitio, aut ſumma cum diligentia commendatis his quæ aut Hiſpalis aut Barcinonæ aut Venetijs venduntur. Hac quippe ratione quæſtum facies vberiorem, & famam lucraberis te dignam: niſi velles magis tuorum commodorum oblitus, officio ſatisfacere, hoc eſt, vtilitati potius tum diuitum & pauperum conſulere, tum diſſuadere penitus quæ nihil ad morborum curationem facere videntur, veritatis amator integerrimus. Iam verò dum cupis ægrotum tibi plenè obtemperaſſe, non eſt quòd peritiam tuam oſtenderis, rariſſimarum auium & piſcium eſum imperans, præcipuè quæ multis ſextercijs ſunt venalia: nam præterquã quòd vix inueniri queant, ob caritatem quidem & raritatem, ea ſaltem vice fruſtraſti laborantem debito victu, ac fortaſſe tuis iuſſis

addictum in vltimam virium proſtrationem intuliſti : Neque fruſtra Galenum inſinuaſſe hoc hominum diſcrimen arbitrandum eſt, qui tot hominum ac vrbium mores nouit; cùm lib. 1. ad Glauconem, capite nono, delicatis palatis volatilia, molles piſciculos, fructus coctu faciles, libens conceſſerit, non admodum verò delicatis ptiſanam, cum Hippocrate, inſtituendam eſſe præcenſuerit in eiuſdem prorſus tertianæ medicatione inſiſtens. Ita ſanè promptiſſimè parebit laborans egenus, ſi aut panem quacunque ratione condîtum, in aqua ſcilicet aut lacte amygdalarum, aut iure carnium edēdum inſtitueris, lactucas etiam, ptiſanam aut animalium extrema : imò verò cùm ij aſſueti ſint rudioribus cibis & craſſiorum partium, haud ineptè cibabuntur pane macerato in iure veruecis, aut in aceto & oleo cum modico ſalis, & demum populari alio quouis cibo, ſed minuta quantitate. Neque pudeat, vrgenti malo vnum aut alterum peritum medicum accerſere, quò plurium iudiciorum habita collatione, quid agendum ſit, rectius proſpiciatur : quanquam hac in parte opus ſit maiori conſultatione, qua modeſtiſſimi pariter ac peritiſſimi ſeligantur vocenturq; ad habendam de re dubia deliberationem. Inuenias namque pleroſque lue ipſa peſtifera nocentiores medicos, qui quidem eouſque propriam gloriam euehere licenter ſatagunt, maximaque concertatione augere ſtudent, vti à ſemel pronunciata ſententia difficilius queant dimoueri, quàm ab Hercule eruatur claua. Sint ergò religioſiſſimi omniq; ſpecimine virtutum præclari, qui ad eam deliberationem accerſuntur ἰατροὶ, profuerint etiam in diſciplinarum theorematis, ſed præſertim in medicinæ præceptis & operibus. Quippè ignorantiſſimi quique & qui nihil aut perexiguum ſcientiæ callent, cùm nihil ſibi detrahant, propriæ ſententiæ ſunt tenaciſſimi, ac proindè in alienam ægriùs multò trahi poterunt, atque in veriſſimam, ratione vlla, cuius ſunt expertes, vix tandem perducentur. Si igitur Hippocrates lib. De præceptis, plures vocari conſenſit, hac lege illud fieri voluit,

voluit, quæ dicta est, nempè si docti sint, si in omni officio versati, veri amantissimi, & erga ciues, ciuiumque salutem omni pietate propensissimi, suorumq; commodorum obliti; istiusmodi profectò consultores mutuam operam sui consilij meditatæque rationis in medium proferentes, saluti ægrotantis non possunt non melius consulere. Adde hoc pacto fidelioris medici opinionem tibi conciliasse, & necis crimen commodissimè propulsasse. Seditiosos verò & perturbatores pacis, postica sanna studiosorum, doctorumq; virorum detractores, inuidos demum & omni pietate destitutos, meritò ab eo consilio excluisse videtur Rasius; vtpote quòd nulla ratione tam prauus eorum animus, sapienter quidquam erga rem adeò seriam sentire posse videatur. Postremò (vt calumniam cupiditatis, quam vulgò medicis imponi passim audio, quantùm datur, vitemus) haudquaquam debet tam præclaræ artis magister, & quem cæteris prætulisse non dubitauit Homerus, suæ operæ mercedem expostulare: Tantùm quippè opus, quantum est sanitas, cunctorum iudicio, minimè pensandum est nummis, sed alio digniori præmio, quodq; à referente gratiam animo dimanauerit. Mauult equidem Hippocrates, saluos factos ingratitudinis incusare, quàm quòd in ipso periclitationis articulo pecunia, improba expostulatione extorquenda sit, in acutis præsertim morbis: in longioribus verò ægritudinibus, paciscendum esse euidenter hortatur; vt qui probè teneret hominum ingratum animum, & impudicam post partam salutem responsionem dicentium, Dei beneficio & absque artis ope se periculum euasisse. Si qua tamen merces offeratur, æquo animo eam accipiendam esse probat Soranus: quam certè neutiquam fore petendam decreuit suo loco. Fortasse videbat maximis muneribus sua tempestate donari medicos, nihilque perinde opus esse pacto: quod testatur Hippocrates in epistolis, & Galenus libro ad Posthumum, de stipendijs medicorum amplissimis loquentes. Sed nostris temporibus magis arridet Thadei Florentini, &

Homer.

ἀνὴρ ἰατρὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Hip. in epist.

Hagogis.

tini, & Canterij Galli pacta; quibus ille quidem consuescebat singulis diebus, aut quinquaginta aureos, aut centenos pacisci; hic verò menstrua mercede aureorum decem millia à Ludouico Francorum rege reposcere. Creuit porrò adeò medicinalis artis despectus, aliàs omnium præclarissimæ, vt nemo sit, qui non pluris faciat calceolarium, aut alium quemuis vilissimum quæstuosum artificem, quàm virum, quem tantopere commendauit sacra scriptura, & quem Homerus multis esse æquiparandum voluit, dum inquit, ἀνὴρ ἰατρὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, hoc est, vir medicus multis alijs exæquandus. Quare fit, vt nisi tua diligentia nummos extorseris, atque tunc maximè, cùm necis imminere periculum timetur, facillimè tuæ operæ atque industriæ obliuiscantur. Consulo tamen, vt cautissimè illos exigere intelligaris, nempè aut simulata propria ægritudine, aut alicuius domestici, aut cuiusuis alterius, aut demum seriùs rediens, aut minùs ac solebas apud ægrum commoratus: ansam ex hoc præbebis sciscitandi, quæ nam fuerit causa tantæ nouitatis. Interea tamen quòd laborantem visis, memineris, ne plus nimio ei indulgens, quæ sunt impendiò necessaria dimittas, & vt tutò, hoc est absque nocumento, citoq; & absque vlla procrastinatione, iocundè etiam, citraq; dolorem medearis: sanitatem nimirum primùm, opes verò posterius intuitus.

Eccleſiaſtici cap. 38.

2. Method.

THEO-

THEOREMA PRACTICVM.

NE quiſquam ſola ſcriptorum auctoritate ſuffultus, temerè victus ſpeciem ab illis præſcriptam, aut pharmacorum certam differentiam inſtituere ægris habeat: quòd ingenio ſuo aut compatriotarum viliſſimum eſſe putet, ſi crediderit, id vellem ſummoperè cunctis medicis eſſe inculcandum documentum, quod ſequenti theoremate iam exponam. Illudq; video in primis eſſe valde obſeruatum, ac non ſine mortalium omnium, fragilitatisq; humanæ diſpendio receptum iam tot ſeculis monumentum; eatenus ſcilicet exiſtimari rectam victus inſtitutionem, & ciborum & potuum iuſtiſſimam normam, tum in morbis, tum etiam in ſanis corporibus, quatenus aut Galeni, aut Auicennæ, aut claſſicorum aliorum auctorum edicto, fuerit comprobata. Cumq; fortè offenderit neotericorum aliquiſpiam, aut oleris, aut carnis, aut panis, aut vini, aut fructus denique definitam ſpeciem præſtitui, pro debita & inculpata viuendi ratione, aut corrigendo vitio, quo creditur eſſe infectum corpus, quod ſuſcipitur emendandum; mox excitat ille tragœdias, & maximum ſuſcitare ſcandalum concertat, ſi apud ſcriptorem aliquem fide dignum eam imperatam eſſe non legerit. Maximum nefas eſſe arbitrantur Hercule, ſi tuopte ingenio, & methodo diſcernendarum rerum ab omnibus approbata, vſus, quidquam comminiſcaris præter exemplar: præſtabilius omnino eſſe iudicantes, cum antiquis præcipites erraſſe ſcriptoribus, quàm noua obſeruatione, & diutiſſima experientia quidpiam excogitaſſe in tuorum ciuium vtilitatem. Ac ſi fortè

tuo magno malo contigerit, aut præmiſſa potione ſimpliciſſima, aut purgatorio medicamento perturbari corpus, & anxium valdè ſe habere : hinc libenter anſam arripiunt, ad te hoſtiliter incuſandum, & quantum illis datur, ad delendam de hominum mentibus opinionem tuam, nouatorem te ipſum ſectarum inquientes, ac perindè non ſine vitæ periculo corporibus mortalium medicantem. Illi verò, tametſi ſepties in die peccauerint, nihilq; methodicè vnquam peregerint, barbariſſimè medicinalia theoremata πράξιώ; exercentes, ſatis ex voto ſe egiſſe reputant, ſi aut ἀμούσῳ cerebro ſuo dictauerint agenda, aut ex prolectario quopiam & ſordidiſſimo ſcriptore deprompſerint documenta. Quòd ſi illis obieceris primæ claſſis virum aliquem, vti Galenum, aut eius ſectæ quemuis alium contraria præcipientem erga rem in medium propoſitam, minimè ſanè verentur (quæ illorum eſt impudentia) Galenum ipſum taxare, loquacem potius illum fuiſſe dicentes, quàm expertum medicum, græculum interim, non peritum, demonſtratorem pluribus, non compendiarium auctorem. Quaſi verò diſciplinæ ſordeſcant, quòd multis ſint monſtratæ ſyllogiſmis, & non potius ſummam claritatem ac ſplendorem exceperint ab his, qui in demonſtrando fuêre clariſſimi. An putas Græcam linguam Platoni, Ariſtoteli, Tralliano, Paulo, Galeno, Theophraſto, Plutarcho, & infinitis alijs Græcis auctoribus primã præripuiſſe palmam, & ſummam erga diſciplinas auctoritatem? non ſanè; nam vel ipſe Cicero Latini ſermonis cultor illuſtriſſimus, vtramque linguam amplexus legitur, & de ea re gloriatur haud parum. Quando verò iſti per ocium diſceptant, nec adeſt coràm magnatum quiſpiam : nullam ſanè tunc timentes gloriæ iacturam, non dubitant inflatis buccis aliquid è Galeno, aut ex prædictorum aliquo in lucem promere, quod nunquam non laudant, admirantur, ac ſtupent, perindè ac ſi è cælo deſcendiſſet, & omni careret controuerſia. Hæc dixi parergos,

rergos, illa potiſſimùm moniturus, quæ de vſu medicamentorum & ciborum principio propoſui : equidem non eſſe vſurpanda perpetuò medicamenta, quæ apud illos etiam doctiſſimos viros maximi extiterunt pretij, in noſtri temporis & regionis hominum vſum, ſicut neque cibos & potus. Neque protinus eſſe culpandum peritum medicum, ſi quando victum & medicamenta ab illis peritiſſimis inſtituta damnaſſe videatur, & alia ſuo more excogitaſſe, populo & moribus hominum ſuorum, pariter ac regioni conuenientiora. Nam, vt tandem exordiar, nónne veruecinas carnes commodiſſimè offerre poterit medicus ei, cui commodè & ex artis præcepto gallinas, perdices, aut capos mandere licet in hac Carpetania, & circùm ſitis regionibus, Septentrionem præſertim verſus ? Profectò caſtrati agni caro annotina, aut paulò antiquior, nihilo prorſus ſuperantur euchymia, & coctionis facilitate ab ipſis perdicibus & gallinis. Cæterùm veruecem, nunquàm inter probi ſucci nutrimenta recenſuit Galenus, ſicut neque hodiernis diebus Italia aut Betica regio. Perſea arbor, Perſis ferinum venenum, ad Ægyptios tranſlata, innoxium reddita eſt alimentum. Vinum dulce nigrum ſemper credidit craſſarum eſſe partium ; reliquum verò auſterum Galenus, cùm in hac regione rubellum frequenter bibatur, tenuitate ab ipſis albis nulla ex parte ſuperatum, ſicut neque probitate, aut acri qualitate, quale eſt quod Illanæ dicunt indigenæ. Item etiam & vina ruffa dulcia, non ſola nigra, in noſtrate plaga ſimillima reperies. Piſces non niſi ſaxatiles admittit in febribus Galenus, & qui eum ſequuti ſunt Paulus & Aëtius, cùm tamen piſciculi parui, barbos ſeu barbulos vocant, & rubelli piſciculi vulgò dicti, quos quotidie in Tago, Henario, Xarama & torrentibus alijs expiſcantur vulgares, omni careant vitio, & nihilo minus ac ſaxatiles tertianis febribus & conſimilibus morbis, iure ipſo expedire videantur. Sunt porrò friabiles, molles, laudabili nutrimento alti, & boni

boni odoris : quare haud rarò piſcium horum eſum in tertianis conſului , ſicut & veruecinas carnes in longioribus morbis, neque ſine adſtantium admiratione . Truttam etiam , quam quibuſdam ſalmonatam placet nuncupaſſe, aut cum Auſonio ſalar, ſic enim ab eo deſcribitur :

Purpureisq; ſalar ſtellatus tergora guttis;

gratum reor cibum ægris febre tertiana laborantibus , ſimiliter & perutilẽ , præſertim ſi calidæ nec diu aſſeruatæ comedantur; teneræ ſiquidem & friabiles exiſtunt, ac facilè coquuntur, quæ ſanè poſcere videtur Galenus, ad hoc quòd piſciculus edi valeat inculpatè. Vitulinæ carnes nunquam ſatis laudantur apud Celtiberos (Aragonios inquam) & per totam ferè Italiam ; quas haud facilè Bethicis, & marcam Aragoniæ habitantibus concederes ; imò verò neq; Toletanam prouinciam degentibus, vtpote duriores & coctu longè difficiliores . Cuniculos recens natos , æquè habiles exiſtimo ad cibandos ægros, ac hœdinas carnes & gallinarum pullos: de quibus tamen nullibi meminiſſe videtur Galenus quòd ſciam. Ranas etiam , quæ in fluminibus aquarum laudabilium ſtabulantur, quis non concederet ; tametſi nihil de illis aut culpantes aut laudantes dixerint ſcriptores : Ego ſanè multo libentius eas amplexor , quàm teſtudines , & alia délicatiora edulia , vtpote quæ boni ſint ſaporis & coctu facillimæ. Teſtem adduco Comitem montis Regij D. Hieronymum de Fonſeca : quem declinante febre , quæ circiter ſexaginta dies ipſum torquebat ; per plures quàm viginti dies , ſolis fermè ranis alui . Quòd ſi conſuetudinem , quæ altera naturæ particula cenſetur quibuſque philoſophantibus , conſuluerimus paulò ſtudioſius , longè diuerſam erga cibos & potus Germanis eſſe comperies , ab ea , quæ Hiſpanis in vſu habetur : atque inter hos , aliam Tarraconenſibus , Valentinis , & conſentaneis , diuerſiſſimam Vaſconijs ſeu Cantabris, & his qui maritima Oceani loca commorantur . Impera obſecro ptiſanam Vaſconijs , ac omnimodo vino in-

no interdixeris, niſi mali ſæuitas aliquantulum temporis id fieri conſenſerit? Ægrè profectò admodum eiuſmodi victum ſuſtinebunt, ac niſi maturè conſilium demutaueris, ociſſimè tabeſcentes, te ſæpius cogent, ad intendendam virium roborationem. Quam rurſus ſi Valentinis indixeris, mirificè admodum ſuſcipient, ſicut & quæ ex ſimilagine & oluſculis concinnatur: propterea quòd longo tempore illis fuerint aſſueti, & connutriti ab ipſa natiuitate. Hinc natum eſſe puto diuinum illud Hippocratis conſilium, quo 2. Aphor. 50.
conſueta, etſi deteriora cibaria, minus nocere commonuit, dummodo ſuauiora iudicentur, quàm quæ verè ſunt meliora, veruntamen palatis minùs ſuauia. Quod Manardus, alioqui doctiſſimus, contemplatus per ocium, haud quaquam retur fore conducibilem hanc, tam apud Hippocratem repetitam ptiſanæ victus inſtitutionem, quæ ſæpiſſimè ſtomachum mouet, inappetentiam generat, & ad vltimam plerunque tabem, præ inedia, laborantes perducit, & ad ciborum vſque abominationem. Non ſine maxima naturarum, regionum, atque conſuetudinum contemplatione diuinus ille Hippocrates, medicorum mentes ad profundiſſimam hanc conſultationem euehere ſtudioſè credendus eſt, dum in hanc prorupit ſententiam: τὰ βρώματα καὶ τὰ πώματα πείρης δεῖ, εἰ ἐπὶ τὸ ἴσον μένει, hoc eſt, edulia & potus experimento indigent, an æqualia ſint. Vnde non ſatis eſt, ſi proborum alimentorum notas mordicus didiceris ac pernoueris, quas libro De alimentis Galenus, atque alij prodiderunt doctiſſimè: Sed & peculiares eorum proprietates, ac cum noſtrorum corporum indiuiduis naturis ſecretas repugnantias (ἀντιπαθείας Græci dicunt) calluiſſe protinus eſt neceſſarium. Nimirum nonnulli hœdinis carnibus offenduntur vehementer, alij aceto, alij caſeo, cùm pleriſque ſit iocundiſſimum, ac familiariſſimum nutrimentum. Quot hominum capita percellere ſolet cæparum & alliorum eſus, quot ieiunum ventriculum oblædit 2. Epid. Lib. de Arte.

aquæ potus? cùm tamen multi ſint, quibus aut allia aut cæpas edere ſit perutile, quemadmodum & qui optimè ferant aquæ potum impranſi prorſus. Quod cùm nequeat iſtiuſmodi *ἰδιοσυνκρασία*, vlla ratione detegi, pariter ac commodè deprehendi, rectè Hippocrates experientiam conſultandam eſſe docuit, in his quæ nulla ratione penitus acquiri poſſunt. Alibi etiam hæc ſcripſit de alimentis obſeruanda. *τῶν σιτίων ἥν δύναμιν ἕκαστα ἔχει, τεκμαίρεσθαι χρὴ ἀπὸ τῶν φανερὰν τὴν δύναμιν παρεχομένων. ὁκόσα ἢ φύσαν, ἢ δῆξιν, ἢ πλησμονὴν, ἢ ἐρευγμὸν παρέχει, ἢ σροφὸν, ἢ διαχωρέει, ἢ μὴ διαχωρέει, καὶ φανερὰ ὅτι ταῦτα ἐργάζεται καὶ ἀπὸ τούτων χρὴ τάτε ἄλλα σκοπεῖν, ἔχει γὰρ ἕκαστα τῶν ἐδεσμάτων, διό τι καὶ ὠφελέει, καὶ βλάπτει, ἄλλατε ἄλλα, τὰ μὲν φανερότατά ἐστιν ἐργαζόμενα ἃ ἐργάζεται, τάδε ἀμυδρότερα.* hoc eſt, quam poteſtatē alimentorum ſingula poſſideant, coniectare oportet, ex his quæ eam manifeſtam reddunt, quæcunque aut flatum, aut morſum, aut ſatietatem, aut ructum faciunt, aut tormina, aut ſecedunt, aut non ſecedunt: atque hæc manifeſta ſunt, quod ita fiant, & ab his alia ſunt exploranda. Habent enim verò ſingula edulia, per quod iuuent, & per quod noceant: ſed eorum alia idipſum liquidò promunt, alia verò obſcurius. Hæc ille, quibus palam fecit, alimenta haud quaquam obtinere æquam rationem ad cunctos homines, ſed eadem bona eſſe & mala diuerſorum comparatione: quod lib. De alimento pulcherrimè ſignificauit, alimenta ad aliquid eſſe inquiens: perpetuò inſinuans, neceſſariò nobis eſſe confugiendum ad experientiam, vbi cupimus expendiſſe ad perpendiculum, quales cibi & potus, propoſitis naturis quadrent, ac ſint ex vſu. Mihi hercule hœdorum carnes & cuniculorum, perpetuò fuerunt inuiſæ: alijs audio vaccinas diſplicuiſſe maximè, quibuſdam rubrum vinum, alijs verò fuluum ſeu album noſtratibus appellatum. Sed de medicamentis, quid intereſt, ſeorſum dicamus, quæ minimam, aut fortè nullam nobiſcum cognationem & familiarita-

Lib. de affectibus.

καὶ ἄλλαι πολλαὶ ἰδέαι τῆς φύσις, καὶ κατὰ χώρην, καὶ ἐθισμὸν τρέφεσι. atq; aliæ ciborum differentiæ, iuxta regionem, & conſuetudinē alunt, lib. de aliment.

liaritatem habere, omnes docti confitentur? Nónne inter illa latiſſimum erit diſcrimen, & ad hominum corpora maximè varia relatio? Eſt ſanè quod audias caſſiam nigram pleriſque eſſe inimiciſſimam, plurimaq; inducere ſymptomata, alijs mannam, quemadmodum crebrò ſumus experti, his nocere rhabarbarum, alijs verò magnoperè ſcammonium. Quo circa maximo in pretio habiturus eſt medicus ea pharmaca, quæ ſemel expertus eſt, his aut illis proſperrimè fluentibus rebus, eſſe conceſſa: alioqui à minimis & ſecuriſſimis exorſus, curabit ſedulò conteſtantem experientiam iterum atque iterum capeſſere, non pro menſuranda quantitate ſolùm, ſed & pro noſcenda proprietate illa, quæ nulla penitus alia ratione poteſt nobis innoteſcere. Hinc diligenter admodum monuiſſe Galenus viſus eſt; dum hæc ſcripſit: Quamobrem ſimplex quodque medicamentum, ſæpius quiſque contempletur admoneo, quò memoria teneat, quantum quodq; dulcedinis aut acrimoniæ, aut alicuius ſenſibilis qualitatis habere poſſit: neque enim gradus qualitatum verbis vllis explicari queunt. Accedit præterea & aliud quoddam iudicij genus, quo vniuſcuiuſque medicamenti vis perpenditur, longa experientia comparatum, quod oratione declarari minimè poteſt. Mel quippe è Cnido aduectum (ſi quis ſigna quæ modò retulimus attendat) optimum adeò cenſebit, vt eum Thaſio & Hymettio proximum eſſe iudicet: quod tamen vbi conſenuit, vitium haud paruum oſtendit, vini namque conditiones aſſumit, idem quoque Rhodio accidit. Hæc Galenus, quibus ſolicitè admodum ſuadere conatur, haudquaquam ſufficere rerum notas, ſicut mellis, tenuiſſe, ad theriacæ compoſitionem, ſed & proprietatem quoque experientia noſcendam: nam mel Rhodium, optimum ſanè quantùm ad eius notas attinet iudicatum, theriacam vitiabat, & in vini ſaporem perducebat breui tempore, ob id quòd illius ſicut & Cnidij natura talis foret, quæ breui tempore vini ſaporem

Primo lib. de Antidotis cap. 6.

odoremque referret. Bene proinde Galenus, ſiue quiſque alius illius libri auctor, lib. De medicinalibus experimentis ad calcem perorauit, dum inquit: Et medicus pro virili ſua debet conſiderare, vt cibus & materiæ, quæ debent propinari, ſint propriæ naturæ patientis vel accipientis, & ſint boni ſaporis, vt æger delectetur in ipſis & diligat. & caue ne præbeas medicinas mali ſaporis; quoniam medicina, quam ægrotus odio proſequitur, plus nocet quàm proſit. Vnde & medici dignum duxerunt cum medicinis dulcia miſcere & guſtu ſuauia, quemadmodum nos fecimus in rob nucum, quod ad anginam compoſuimus. Caueas demum à medicinis non expertis, ſed vtere expertis & vſitatis à peritis medicis, pariter atque expertis. & ſcias, quòd omnes iſtæ medicinæ ſunt bonæ in ſuis locis, ſcilicet vbi conueniunt, & ſunt venena in ſuis contrarijs. Hactenus ille, palàm faciens (ita me dij bene ament) quàm ſit medicis neceſſarium, ſuis compatriotis medicamenta largiri, & omnibus in eadem plaga commorantibus, quæ cùm illis agnitam iam experientiam, cognationem & familiaritatem obtineant, quod nomine dulcis & ſuauis complexus eſt ille: magnum quippe argumentum ad detegendam hanc occultam rerum proprietatem opinatus eſt ſemper Galenus guſtus ſuauitatem, cui niſi ſatis confideris, ſint propria & probata iam præſidia experimento, & quæ nihil ſuſcipientibus nocere poſſint. Declarauit ad hæc, pleraque medicamenta innocua eſſe poſſe Indis, & barbaris alijs nationibus, vti helleborum, ſcammonium, & eiuſdem claſſis alia, quæ quidem noſtratibus forent venena, & expertis alijs regionibus eſſent proficua; quod experientia illorum declarauit. Quocirca multis nominibus extat vellicandus, quiſquis domeſticas medicinas vilipendit, ac odio Theonino proſequitur adeò, vt eas culpet & damnet, ſolùm quòd vernaculæ ſint: quaſi nihil valeat frugiferum ad nos aſportari, quod non ex vltima Thule & Indis vltimis fuerit demandatum. Cur obſecro non probamus

mus magis turpetum noſtro ſolo natum, & cuius ſaluberrimum vſum experimentis aſſiduis comprobauerunt maiores noſtri, atque nos ipſi, quos viximus dies, periculum fecimus fœliciſſimum? quinimò grauiter admodum ſuccenſemus pharmacopœis, ſi quando orientale habendum non curauerint, tametſi carius emendum? Quàm Hercule prudentiſſimè Cardinalis ille Siliceus dicere ſolebat (alioqui medicamentorum exoſor perpetuus) ſtultiſſimorum eſſe hominum, quæ apud alias nationes naſcuntur, medicinas velle præferre, his quæ propria regione benigna proueniunt. Quod quidem multò acrius efficaciusque protuliſſet (quæ eius in diſceptando ſemper fuit vehementiſſima acrimonia) ſi hanc quam detegere propoſuimus proprietatem, quæ pro locorum & regionum diuerſa conditione ſolet eſſe nimis varia, probè tenuiſſet. Iam verò nouandarum rerum cupidiſſimi, nullum morbum pertinacis naturæ, tolli iam poſſe, perſuaſerunt vulgò, niſi aut ſinarum decoctis, guaiaci, zarzæ parrillæ corpus miſerrimorum hominum torſerint quadringentos dies, & ſumma inedia ad irrecuperabilem membrorum tabefactionem perduxerint: cùm, eſto, hydroticis remedijs opus ſit, ſudorifica alia remedia apud nos ſint familiariora, & quæ citra magnum molimen, vegeta ſatis, & ſuis ſuccis ac viribus referta adhuc vigeant. Mea ſanè ſententia chamæmali decoctum, ſaluiæ, chamæpytheos, betonicæ, atque in his, qui præ frigidi affectus intenſione, potentioribus remedijs egere viderentur, centaurij, ſabínæue ius, multò foret ſalubrius atque efficacius, quàm putridula illa ſinarum, guaiaci, zarzæ parrillæ ſegmenta, nullam fermè iam præ ſenio poteſtatẽ retinentia, & tranſmarinis ac longiſſimis vectationibus effœta iam prorſus reddita. Parentur ſanè omnia, fiatq; diligens exercitatio, erga ea quæ diximus medicamenta: ceſſetq; aliquandiu hic peregrinarum medicinarum tam improbus vſus, parcamus iam tandem pauperrimorum maximis expenſis: ac niſi fœlicior ſit ſucceſſus,

multo & minori cum abominatione ex familiaribus medicinis diſpeream, atque iterum diſpeream. Poſtremò cùm pauciſſima ſint medicamenta, quorum examinatio certa ſit, infinita propemodum de quibus ambiguum ſemper fuit iudicium, quæ fuerint apud antiquiſſimos, & quibus dotata fuerint virtutibus & nominibus, inſaniæ profectò genus quoddam eſſe videri debet ſeueritoribus grauioribusq; ingenijs illud, quo pertinaciſſimè adeò exotica iſta medicamenta & ab incognitis & regionibus & habitatoribus aduecta defenduntur, & in diuinam quandam aſſeruntur dignitatem. Quantò foret & ſecurius & certius conſilium illud, quod de vſitandis familiaribus medicinis & quæ apud nos ſunt, caperetur: cùm præter certitudinem, quam de his haberet cœtus medicorum, partim doctorum, plurimorum verò ignarorum, hæc maxima ſequantur reipublicæ commoda, quæ & à tam iugibus ſumptibus excuſarent, & ſuſpitione omni ciues tutiſſimos poſſent reddere. Galenus porrò vix fieri poſſe putauit, vt medicamentorum adulterationem noſſe peritiſſimus etiam medicus valeat. Italis etiam Barbarisq; gentibus iam diu agnita eſt poteſtas inficiendi eſculenta poculentaq;: neque eis extat nimium religioſum quacunque poſſint ratione mortales interimere, præſertim quos alterius eſſe factionis credunt ac noſcunt. Quid igitur obſtiterit, quo minus quæ vident ſingulis diebus huc adferri medicamenta, ſuis aſtubus contaminent, & venefica reddant? Varia igitur ciborum & potuum, ſimiliter & medicamentorum ſeruanda ratio eſt, pro varijs hominum regionibus. Neque potuerunt hac in parte, qui nos præceſſerunt auctores, certos cibos atque medicinas cunctis medicantibus præſcripſiſſe, ſed ſolùm ſuæ plagæ terminos inculturis. Proindeq; recte conſulet quiſque ſuis, & muneri cui dicatus eſt medicationis, ſi quàm primùm ad morborum curationes acceſſerit, grauiter admodum cognouiſſe ſtuduerit, qui mores hominum, quæ viuendi ratio, quo victus genere frequentius

quentius vtantur, & quibus medicaminibus oblatas morborum incurſiones ſoleant impunè propulſare : hac etenim ratione fiet, vt non perpetuò, quæ antiquiſſimis auctoribus maximi æſtimata fuerunt, à nobis acceptentur, & ſæpius noua ſint tentanda, nouaq; victus ratio quærenda, ac longè diuerſa, ab ea quæ illis temporibus laudabatur. Quamobrem turpiſſimum eſſe puto, ſimul & impudentiſſimum ſcelus eorum, qui ſapientiæ opinionem tunc maximè ſe oſtentare arbitrantur, cùm liberè admodum carpunt, quæ ab alijs innouata eſſe meritò, animaduerterunt : nam vel tunc ignorantiæ crimen apertè peccauerunt, qui palàm profitentur nihil poſſe indies inuentis addi, nec in artibus acceſſiones curſu temporis fieri poſſe.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
MEDICINA

LIBELLVS HIPP.

ΠΕΡΙ ΕΠΤΑΜΗΝΟΥ,

HOC EST, DE SEPTIMESTRI PARTV,

ENARRATORE FERDINANDO MENA,

Philippi regis Hiſp. regum omnium maximi & Chriſtianiſſimi Medico cubiculario, & Complutenſis Scholæ profeſſore.

CAPVT PRIMVM.

QVI ſeptimeſtres naſcuntur, centum octoaginta duobus diebus accedenti particula, id ſuſtinẽt: Si enim primi menſis quindecim ſupputaueris dies, quinque autem menſium centum quadraginta ſeptem cũ ſemiſſe, (abſoluuntur etenim ſexaginta ferè duo menſes, dempto vnico die). His igitur ſic ſe habentibus, ad ſeptimum menſem ſuperſunt non plures quàm viginti, dimidium anni vnà cum diei partis aliquantula particula.

COMMENTARIVS.

SCIMVS, vel hi qui de motibus cælorum exiguam nacti ſumus cognitionem, annum ſolis curriculo menſuratum, ter centum ſexaginta quinque diebus cõſtare, ſex itidem horis, & horarum quibuſdam fractionibus: eaque de cauſa, quarto quoque anno diem adiici ſolere intercalarem, vt quacunque ratione fieri valeat, nihil retrò reſtitiſſe temporis videretur. Quanquã neque ea quæ dicta eſt intercalatio planè ſufficiat, niſi per aliquot annos fractiones quoq; dictę horarũ, ſubducta ratione, ad diei referantur ſpacium, ſicque certo numero annorum tandem adiiciantur. Verùm ea de anno contemplatio Atticis minus fuit ex vſu: vtpote quibus Lunæ

a curſum

curſum attendere potius placeret, veluti magis perſpicuum, & menſtruis ſpaciis ſubinde diſtinctum. Iuxta quorum placita, annus ter centum quinquaginta quatuor diebus durat; menſis verò, quem vulgus conſecutionis vocat, de lunaribus maximus, triginta ferè dempto ſemiſſe: ferè, Græc. ἐγγύτατα, prudenter adiecit, ob paruulam quandam particulam, quam Hipparchus addebat, conſideratione minimè dignã. Quamobrem quidquid de menſibus, menſiúmve ſupputationibus dicet Hipp. ad hanc debet in primis accommodari Græcorũ conſuetudinem; nequaquam ad ſolis curſum, quemadmodum Valeriola contendebat. Quid autem facerent Athenæ, vt cum ſolis conuenirent ſpaciis, apud pleroſque inuenies ſcriptores doctiſſimè adnotatum: non eſt proinde quod in præſenti de ea re præter inſtitutum, agamus prolixiùs. Moneo tamen ne cum aſtronomis menſis durationem trifariam capere ſolentibus, ac ſi medicorum ſectemur decreta, quadrifariam, procedas: quippe aut metiuntur peragrationis moram & circuitus tempus, hocque viginti ſeptem diebus & triente perfici cenſent, aut illuminationem nobis lunæ conſpicuam, quam viginti ſex diebus, ſemiſſeque abſolui conſentiunt, aut demum totam eam circuitus durationem, quæ ab vno coitu lunæ cum ſole, ad alterum vſque perdurat. quæ, vt dixit Hipp. triginta dies, dempto ſemiſſe, præ ſe fert, cuiusque commenſuratione quæ hîc docentur, extant metienda: vti viſus eſt inſinuaſſe Ariſt. lib. 4. de Gen. cap. 10. nec non Gal. lib. de ſeptimeſtri partu. De Galeni menſe nihil hîc meminero, tum quòd ad Hipp. enarrationem nihil omnino faciat: tum quòd lib. περὶ κρίσεων, abundè de illo dixerimus. Reuerſis itaque ad penſum interpretationis; Septimeſtres (inquit) centum octoaginta duobus diebus, cum dimidio & octaua parte fiunt: (quindecim nanque horas voluit ſubaudiri, per illud, accedenti particula, Græc. καὶ προσόντος μορίου:) quod vt planum faceret exemplo, de menſe conceptionis accipiendos eſſe duxit quindecim dies, quinque verò menſium intercedentium, centum quadraginta ſeptem cum ſemiſſe,

Lib. 3. enarratione 7.

qui

qui omnes centum ſexaginta duos cum dimidio conficiunt: quare rectè collexit, ad numerum præſtitutum, nempe centũ octoaginta duos cum ſemiſſe, in quo ſeptimeſtres partus fieri affirmauit, ſupereſſe nõ plures quàm viginti. Centum quippe ſexagintaque duobus diebus cum ſemiſſe, ſi addatur viginti, præſtitutus numerus reſultabit. Sed alibi, hoc eſt lib. de carnibus ad finem, ducentos ac decem ſeptimeſtrem fœtum obtinere pronunciauit, inquiens, ἔχει δὲ καὶ τὸ ἑπτάμηνον γενόμενον, ξεῖς δεκάδας ἑβδομάδων, ἑς δὲ τὶω δεκάδα ἑκάςην ἑβδομήκοντα ἡμέραι, ξεῖς δεκάδες δὲ ἑβδομάδων αἱ συμπάσαι δέκα καὶ διηκόσιαι. hoc eſt, ſeptimeſtres partus tres continent ſeptimanarũ decadas, quarum vnaquæque ſeptuaginta dies cùm habeat, ducenti decemque dies erunt vniuerſi. rurſum circa finem huius, taxabit quadragenarium ſextum, qui circa octauum menſem voluitur, ea puto de cauſa, qua in ſeptimo & quinto quadragenariis genitos fœtus approbaſſe videtur: quamobrem, cùm ſextus damnetur quadragenarius, ceu tyranni regis æmulus, & malignitate notatus, quam ſexto diei perpetuò tribuit Galenus, quintum ſeptimumque, ſicut & dies illis reſpondentes, ingenuè commendauit, quorum quintus, ſeptimeſtribus; ſeptimus verò nonimeſtribus pariter ac decimeſtribus, quibus licet omnibus eſſe vitalibus, attribuitur. Sed quinque quadragenarij liquidò ducentos dies conficiunt, qui neque præſtituto numero, centum ſcilicet octoaginta duobus cum ſemiſſe reſpondent, neque tribus decadibus hebdomadarum: de quibus nunc memineramus. Eſt prætereà quod doctiſſimum quenque hallucinantem facilè reddat. nam ſi pars menſis, menſis exiſtimari debet, vt Galenus met in 1. cõmentario putauit, eo maximè ſi plus dimidio continuerit: qua de cauſa in ſeptimo menſe, viginti dies poſtulauit, non quindecim ſolùm, quemadmodum fecerat in primo conceptionis menſe? Poſtremò, dimidium anni lunaris, quem mẽſes lunares metiuntur, de quibus Hipp. hoc loco potiſſimum agere, nuper adnotauimus, ex centum ſeptuaginta ſeptem conſtat diebus: quorſum ſolarem eſt amplexus, qui quinque

Lib. de ſeptimeſtri partu.

dierum ſpacio,& quadrante, maior exiſtit? Haud dubiè Galeni ſententia, (qui ſolicitè admodum curauit ſciſcitationibus,& omni diligentia de partubus exactam obtinere rationem,) ſeptimeſtris partus centum octoaginta duobus diebus cum ſemiſſe, quod minimum eſt, terminatur ac perficitur, quod maximum eſt, nunquam vltra ducentos quatuor dies vtero geſtatur: in medio temporis ſpacio celerius aut tardius, maxima pars ſeptimeſtrium fœtuum editur, prout à calida conſtitutione temporis, vteri calido temperamento, & victus ratione calida citius matureſcit, aut à contrariis cauſis tardius ſuam adipiſcitur maturationem. In eadem obſeruatione perſeuerans, neque in minori ſpacio quàm dimidio anno ſolari, gigni poſſe ſeptimeſtres partus, aſſeruit, neque in minori, quàm dimidij menſis ſpacio primi & ſeptimi, ſi perfectus eſt, oriturus. Quocirca in dimidio anno lunari neutiquam fiet perfectus ſeptimeſtris, quod intra ſex mẽſes ea ratione gigneretur, experientiæ, & obſeruationi quæ de certo numero tẽporũ habetur maximè aduerſum. fiet ergo in dimidio anno ſolari, qui ſeptem menſes lunares includit quadantenus. rurſum tres decades ſeptimanarum ducentos decemque dies habent, in eisq; quatenus ſexti quadragenarij minimum capiũt, abſolui poterit ſeptimeſtris partus: quare ducentos quatuor dies attinget circiter, quod experimenta Galenica teſtãtur, nihil amplius aut rariſſimè. Quintus præterea quadragenarius, ducentos ſanè dies amplectitur, ac plures quàm ab Hipp. hoc loco proponuntur: nihilominus, haudquaquam ea aſſertione confecit amplius, ac ſi ſpacioſam partus ſeptimeſtris latitudinem, inſinuaret, duobus terminis concluſam, intra quos ſeriùs ac citiùs liceat ſeptimeſtri fœtui vitali prodire. Eſt etiam illud ſummoperè hac in parte menti commendandũ, quod ex Galeni oratione adducta conſtabit eſſe conſpicuũ, & Hippocraticis aſſeuerationibus valde cõſonat: nempe, in ſeptimeſtris partus ſupputatione, primi menſis & ſeptimi, plus dimidio fore computandũ, vti illorum vis queat eluceſcere, & in tam breui tempore fœtum cõſummare, eaq;

de

de cauſa, in ea computatione, ſufficerent quindecim dies primi & ſeptimi menſis, ſi dimidium anni ſolaris, ſeu ſeptem menſes attingeret. Sed quia minimè attingunt ſeptem menſes, ſed intra ſex manſiſſe intelliguntur, oportuit, aut primi, aut ſeptimi plures quàm quindecim accipere: aut ſi primi menſis quindecim duntaxat dies numerati fuerint, viginti ſunt capiendi ipſius ſeptimi, quod minimum eſt, vt dinumeratio ipſa, de ſeptimo menſe aliquot dies, quinque ſcilicet, accipiat. At verò dũ alios menſes nonimeſtres videlicet ac decimeſtres conſtituit Hipp. non opus eſt de primo & poſtremo plus dimidio menſis capiatur: cùm cõſtet apertiſſimè, de primo fore capiendos perquàm paucos, ſi ad decimum attingere debeat fœtus, aut ad ipſum vndecimũ. cùm enim eiuſmodi fœtuum maturationes pluri tempore efficiãtur, & ſatis ſpacioſo, ſatis eſt, ſi aliquantulum temporis ſeu dierum, ex primo poſtremoque menſibus deſumatur: quod apertè probat Hipp. qui lib. de Octimeſtri partu ad finem, genitos poſt plenilunium, neceſſariò ad menſem vndecimum durare intra vterum concluſit: quod quidem neutiquam fieri poteſt, niſi per pauciſſimos dies: vt ad calculum ſubducenti patebit, etiamſi de primo conceptionis menſe pauciſſimos quoque ſumpſeris, quemadmodum fieri neceſſum eſt, in his maximè ſupputationibus, quę decimum, vndecimúmve mẽſem ſunt obtenturæ. In ea itaque numeratione, quæ de ſeptimeſtris fœtus geſtatione principio fuit præſtituta, quindecim cœpti fuerunt dies de primo menſe, quinque verò ſequentium, centum quadraginta ſeptem cum ſemiſſe; deſiderantur igitur ad propoſitum numerum, viginti non plures: omnes etenim hi, centum octoaginta duos cum ſemiſſe conficiunt, dimidium ſcilicet anni ſolaris, ſi addas diei partis ſcilicet quadrantis, dimidium, tres horas videlicet. Centum quippe octoagintaque duobus diebus cum quindecim horis, conſtat anni ſolaris dimidium. In codice meo legitur περιγίνονται, viginti dies, πλεῖον ἢ εἴκοσιν: in eo verò quem ſecutus eſt Cornarius, habebatur, περιγίνονται δὲ πλεῖον, hoc eſt, in altera affirmat ſupereſſe

viginti dies, & adhuc plures; in altera verò non plures quàm viginti, ad propoſitam ſcilicet computationem: quam lectionem puto veriſſimam.

CAP. II.

CVm ad hoc perfectionis principium partus peruenerit, matureſcenti fœtu, & robore multum augeſcenti perfectius, quàm in aliis tẽporibus, pelliculæ, in quibus à principio ſunt connutriti, à fortiſſimis & maximis embryonibus violãtur atque corrumpuntur, partuſque edere coguntur: ex quibus plurimi pereunt, quemadmodum ſpicarum velamina laxari vrgentur, priuſquam perfectè fructus matureſcat.

COMMENTARIVS.

EDITVR fœtus pluribus de cauſis, primumque ob alimenti penuriam, quod latiſſimè demonſtrauit Hipp. lib. De natura pueri: vt enim in volucribus euidenter apparet, oua inania videntur, quando volucer roſtro putamina ferit, olfaciens quidem fœtus ad exitum deſiderium. Vbi (inquit) deficit alimentum pullo ex ouo, non habens ſufficiens id vnde viuat, fortiter mouetur in ouo, vberius alimentum quærens, & pelliculæ circùm dirumpuntur: ac vbi mater ſentit pullũ, vehementer motũ, putamen ſcalpens ipſum excludit, quod in viginti dierum ſpacio fieri ſolet. Sic itaque vbi auctus fuerit puer, mater haud amplius ſufficiens alimentum ipſi poteſt exhibere: vberius ergo quærens, calcitrando pelliculas quibus tegebatur, rumpit, & à vinculo exolutus, ſimul foràs prodit, atque hæc vt longiſſimè in decem menſibus; ſic quoque Auic. partus non fit, niſi quando fœtui non ſufficit, quod ei mittit ſecundina ex ſanguine, & quod peruenit ad ipſum de attractione aëris, quando eius membra ſunt completa: ex quibus luce multò clarius liquet, alimenti penuria, ſiue illud

21.3.cap.2.

ſit

ſit aëreũ quod ſpiritus alit, ſiue ſolidius, quod ſolidas reficiat noſtri corporis particulas, fœtum ipſum ad exitum properare, violenterque clauſtra ſibi cognata, dirumpere. Fit etiam ob anguſtiam loci ſeu vteri, vt nonnunquam fœtus maturius quàm debeat, aut ſaltem conſtituto tempore, petat ea ratione, quam diximus, exitum: nam cùm ſingulis diebus alimento magis ac magis vtatur, à quo ſanè corpus exauctum, maiorem loci continentis capacitatem exigat, ſi vterus diſtendi amplius nequeat, ac pro fœtus corporea magnitudine dilatari, neceſſum eſt rumpantur ergaſtula tunc, quemadmodum vas vinarium muſto efferueſcenti, dum claudi à quoquam temerè contigerit. Quam rationem doctiſſimè Aëtius, Tetrabiblĩ quarti, cap. 21. ſermonis quarti, adnotauit, ex Hipp. mutuatus lib. De ſuperfœtatione, hæc quæ ſequuntur ſcribenti. Talibus, vteri puero augeſcenti, & bimeſtre aut trimeſtre, aut quantumcunque tempus tranſgredienti, ſiquando aliàs augeſcit, in maiorem amplitudinem non porriguntur; ita vt non amplius ſufficiant capiendo fœtui, ſed propterea perditur eodem tempore. hæc ille. Planta nimirum, ſi in rupis ſinu, aut alio arctiſſimo loco, radicem egerit ſuam, temporis progreſſu augeſcens, findit amplius ac frangit anguſtũ receptaculum, quantò augmentum cœperit ipſa fœlicius: haud ſecùs fœtura humana, (quod & de reliquis animalibus ſubaudiendum puto) anguſto loco concepta, ſi molem captu maiorem acceperit, neceſſum eſt infringat receptaculum, atque perrumpat. Rumpuntur autem pelliculæ fœtum ipſum ab ipſo principio ambientes, connexæque omnes in vmbilico: primumque illa, quæ ipſi fœtui eſt contigua, ἄμνιος Græc. appellata, aut à tenuitate qua pollet maxima, aut ἀπὸ τῆς μαλακότητος, id eſt, mollitie, quod videtur veriſimilius. Subinde rumpuntur ſecunda & tertia, quæ paulò remotius fœtum ipſum ambiunt, circumque velant. libro porrò De natura pueri, hæc ſcripta reliquit: Quando mulieri partus appropinquat, tunc puero ſe mouenti, & pedibus ac manibus calcitranti, pelliculam quandam internam rumpi contingit, rupta autem

autem vna etiam aliæ debiliorẽ vim habent, & rũpuntur primùm quidẽ illi contiguæ & cohærentes; posteà verò quæ omniũ est postrema: cùm autem ruptæ fuerint pelliculę, fœtus à vinculis exoluitur, ac agitatus foràs procedit. neque enim amplius robur habet, pelliculis amissis, neque vteri amplius puerum continere possunt, pelliculis (vt dixi) amissis, & ab ipsis abruptis. Cohærent profectò etiam vteris, vbi circum puerum obuoluuntur, non adeò vi valida, ac multa. hæc ille. Ex quibus palàm fit, qua ratione velamenta illa calcitratu rumpantur, siue quia fœtus alimentum desideret, siue angustiori loco detineatur: illaq; eo ordine, quem diximus, rumpi, neque mirum esse, si sæpius tegumenta illa intus manserint hærentia vtero, tametsi fœtus foràs prodierit. Ac vt in procinctu teneat auditor, fœtus inuolucrorum numerum & figuram, tria esse dissectionis peritis probantur; primùm quidem ac extimum quod fasciæ modo fœtum obuoluit, non equidẽ vndiquaque, sed per mediam regionem ab ilium elatissima sede ad ensiformis ossis mucronatam cartilaginem, splenis ipsi simillimum, quãtum attinet ad nigredinem, friabilem substantiam, fungosamque, & quatenus frequentissima vasorum serie implicatur. Hoc solùm venas & arterias recipit innumeras ab vtero deriuatas; secundina barbaris appellatum, Galeno χόριον. Quinetiam venæ & arteriæ quæ in hoc semel recipiuntur, in caudices quosdam se colligentes, arteriæ nempe in arterias, & venæ in venas, binos scilicet, duo alia inuolucra penetrantes, in vmbilicum perueniunt, sanguinem & spiritum suppeditaturæ, concepto semel animali: ac, vt in summa dixero, si particulam hanc expenderis paulò morosius, παρέγχυμα, splenis modo potius, quàm membranaceam naturam imitari videtur. Secundum inuolucrum verè extat membrana, circunquaque fœtum tegens, nullibi vtero hærens, præterquàm ea parte, qua iam prædictæ assui circumspicitur, per venulas illas à primo in vmbilicũ penetrantes: ἀλλαντοειδὴς, id est, farciminalis dictum, quòd fœtũ perinde contineat, ac intestinum magnum, infartum aliquod.

Seruit

Seruit ea capacitas, quæ inter hoc & tertiũ dicendũ intercipi intelligitur, recipiendæ vrinæ per vrachion, qui meatus quidã eſt, à fundo veſicæ procedens, & per vmbilicum graditur ad dictam vſque capacitatem. Hoc duntaxat clunibus, & extremis partibus obduci atteſtari videtur Galenus: cuius contrarium diximus ex recentiorum diſſectorum opinione. Tertiũ inuolucrum fœtuique ipſi proximum, tenuiſſima pelle conſtans eſt, fœtumque omni ex parte obtegens: quæ ſudori ficę redundantiæ recipiendæ creata eſſe creditur, in eo quidem ſpacio quod inter ipſum & fœtum conſtituitur. Exemplo itaque ſpicarum comprobauit Hipp. hanc violentam velamentorum diruptionem: nam ſicut illæ, ſimiliter & malagranata, amygdala, dehiſcunt ſæpius ligneo illo cortice rupto, ob molis intus increſcentis violentum impetum, ſic quoque quæ cooperire fœtum dicta ſunt inuolucra. Atque hoc tam fit vbi perfectè maturus eſt fructus, quàm vbi ipſum matureſcere incipit: conſequenterque inde deduces, ſeptimeſtres partus poſſe rupto conceptaculo foràs erumpere, tametſi nondum exactiſſimam nacti fuerint maturationem.

CAP. III.

CVm enim parui ſint, tranſmutatione maiori, quàm alij vtuntur, & quadraginta dierum afflictionẽ perferre coguntur ex vtero egreſſi: id quod etiam ex decimeſtribus multos peremit. Sunt autem ex his ſeptimeſtribus, qui ex multis pauci ſuperſtites euadant.

COMMENTARIVS.

VNICAM duntaxat cauſam immaturè prodeuntis fœtus tetigiſſe viſus eſt Hipp. dum à pleniſſimis fortiſſimisque embryonibus prędicta inuolucra ruptionem perpeti poſſe ſolùm arbitratur: eaque ratione fieri, vt ſeptimeſtres naſcantur nonnunquam, mole ſcilicet ſua vaſcula rumpentes. nihil prorſus de his qui præ defectu alimenti in lucem eduntur,

partubus fortè recordatus: quoniam (dicet aliquis) rariſſimè viderat, aut nunquam fieri poſſe, vt intra ſeptem menſium ſpacium, alimentum deſit ſecundum naturam ſe habentibus. In languore nanque oppreſſis grauidis, nullo non tempore deeſſe poterunt alimẽta, eò maximè ſi demi ſanguinem, aut alia ratione turbari corpus oportuerit, vrgenti aliqua neceſſitate, & necis imminenti periculo. Sed veriſimilius eſſe cenſeo, per eam dictionem τὰ μὲν ἰσχυρότατα, robuſtiſſimos & vegeto calore præditos comprehẽdiſſe pueros: qui ſanè ea de cauſa maternum ſanguinem exhaurientes ocius ac deuorantes, penuria alimenti coguntur carceres, in quibus detinentur, abrumpere, externumque petere auxilium. Altera verò dictione, ἀσθενέστατα, id eſt, craſſiſſimos ſubaudiuiſſe, & mole ſuccreſcentes: qui ad vteri capacitatem anguſtam relati, plus creſcunt magnitudine, quàm vt ab illa loci ſede capi poſſint? Quare, duas cauſas perpetuò tuemur, ob quas fœtus egrediuntur, quando ſecundum naturam ipſam nullo morbo infeſtatam fiunt partus: plures nanque aliàs excogitare quiſque valebit, quibus in morbo afflictis, fœtura foràs educi compellitur. Vteri porrò inflammatio, ſiue tumorum quilibet, diſtemperies immodica, cuiuſmodi larga cenſetur humiditas acetabulorũ, ſoluta vnitas ſeu vlcus effatu dignũ, abſque vlla dubitatione vrgere poterunt, ac violenter efficere vt præcocius ac fieri conſueuit, deorſum deturbetur conceptus: non ſolæ duæ illæ, quas nuper ſufficere monſtrauimus. Quis enim erit tam ſtupidæ mentis, qui non nouerit apprimè, morbum omnem, cuiuſuis generis exiſtat, interimere poſſe fœtum, vterum debilitare, ita vt non queat fœtũ retinere, ſi magnitudinem periculo plenam fuerit adeptus? Duobus ergo modis fiet cauſa aborſus, eiuſmodi morbus, altero quidem quatenus fœtus vires refringit ac necat; altero verò, quatenus maternum ſuperat calidum, & vim vteri ſubuertit cuſtodem fœtus. Ergo qui citius exeũt ex vtero quàm par eſt, plurimi pereunt ob redditas cauſas: ſed inſinuatur nunc tertia, paruitas ſcilicet fœtus haudquaquam exactè maturi,

maturi, ſed in principio perfectæ maturitatis conſiſtentis, vt præfato iam commentario, notauit. Qui cùm nondum integrè maturuerit eo tempore, neceſſum eſt ob paruitatem cui iuncta ſit, neceſſum eſt debilitas maiorem ſuſtineat motionem, quàm alij perfecti: tùm quia parui, parua verò promptius ab æquabili cauſa pellantur, tum quia viridiora cùm ſint acetabula, quibus vtero colligati ſunt conceptus, maiorē violentiam patiuntur, dum dirumpuntur, ab vteroque auelluntur, ipſaque inuolucra hiant, calcitratuque franguntur. Atque hæ cauſæ interius vexant, qua ratione dictum eſt; ſed externæ quoque in paruis fœtibus, ac nondum adeptis ſuam maturitatem, violentius agent, præcipuè primo quadragenario ab ipſa natiuitate. Subterius paulò oſtendens quãtam vim dies critici & quadragenarij erga morbos, & embryones habeant, de quadragenariis verba faciens, tres memorat hac in parte admodum efficaces: primum quidem ab ipſa conceptione; ſecundũ verò, qui octauo menſe attribuitur, vltimo loco, ab ipſa natiuitate computandum. In quo quidem quantum periclitetur fœtus quiuis, nemo non iudicabit, qui altius paulò iſthæc præmeditatus, nouerit ſubitas mutationes naturæ mortalium eſſe nocentiſſimas: ſiue illæ in motibus, exercitiisque expendantur, ſiue in eſculentis potulentiſue, ſiue in quibuſuis aliis rebus, ad vſum noſtrũ pertinentibus. Mutationes ſanè aquarum nimium nocere teſtatur Ariſt. aëris item & regionum, temporumque, ac demum anteactæ conſuetudinis innouationem: quæ ſi ita habent, cur non patietur maximum periculum fœtus quilibet, ac multò magis immaturus, quando ex vtero illi tot menſes amiciſſimo, & calore quodam viuifico perpetuò fouenti in externas aëris iniurias, implumis admodum ac planè exarmatus educitur? Fruendum eſt illi ſanè aëre qualis qualis ſit, pro vtero & inuolucris cognatis, linteis & pannis, pro ſanguine nouem menſes aut decem familiariſſimo alimento, lacte, ac plerunque alterius mulieris ab ea quæ illum peperit: in quibus omnibus, mutationem experitur, qualis nobis omnibus accedit,

de conſiſtentia ms

In Epidemiis cauēda eſt ſubita mutatio.

1°. Probl.

Lib. de octimestri partu.

de rebus insuetis. Si ergo viros & prouectæ ætatis homines, eiusmodi mutationes in morbos perducunt, ac sæpius in necem ipsam: æquius multò superabunt recens natos, atque eos maximè, qui imperfecti adhuc, & ad principium perfectionis adducti, minus habiles sunt ad has peregrinas insultationes ferendum. Eiusmodi sunt septimestres partus, qui quòd parui sint, & insuetam sustineant rerum alterantium consuetudinem, per primos saltem quadraginta dies, nihil mirandũ est, si ex illis multis pauci salui euaserint: nam vel decimestres & perfectionem adepti maximam, haud possunt non experiri eiusmodi subitam mutationem non esse nocuam. nam vel ex his plerunque fit, vt multi perimantur: eò maximè si dum egreditur ex vtero fœtus, ad illum mulier haud proximè accesserit, ipsumq; tẽporis aliquantulo sui sinus calido fométo recreauerit. Quod monuit esse faciendũ Hipp. lib. De superfœtatione: aduersus eas mulieres, quæ nihil curant diligenter muccosum puerum & madentem adhuc recipere. quin potius, nõnullos sentio ea negligentia ad orcum esse missos lamẽntantibus parentibus: inter quos non multis ab hinc diebus, filiam cuiusdam viri, & diuitiis, & genere clarissimi, sex horarum spacio interire conspexi, quod nihil operæpretij esse crederent, quæ adstabant mulieres, si rigere eam sinerent, an potius in lecto valde ornato, & gremio lactantis percalido reciperent.

CAP. IIII.

PRopterea quòd ratio & tempus, quibus in vtero sunt connutriti, constat vt participes sint, omnium quorum etiam perfectissimi participes existunt: maximè qui salui manent, & de matre prius pariente processerunt, ceu in octauo mense ægrotaturi. His siquidem laboribus si successerint, vt in lucem edantur pueri, impossibile est superstites euadere: ob eas passiones quas octimestres perimere diximus, ac plerosque ex decimestribus.

COM-

COMMENTARIVS.

QVANQVAM pauci ex ſeptimeſtribus euadere dicantur, ob rationes quas dudum enarrauimus; ſuperſtites tamen nonnulli euadunt; quoniam ratione & tempore conſtant, quibus perfectiſſimi, cuiuſmodi ſunt decimeſtres aut nonimeſtres. Quæ autem ſit ratio & tempus, in quibus ſeptimeſtres & perfectiſſimos partus conuenire voluit, ex Hipp. & Galeno non extat perſpicuum: præcipuè cùm iſthæc omnia experimento magis & longa obſeruatione probari debeant, quàm ratione vlla, λόγον Græci dicunt. tempus etiam geſtationis fœtus longo interuallo diſtat in ſeptimeſtribus & aliis, quantò inter ſe ſeparantur temporum menſuræ variæ, quibus conſtant: qua ratione igitur perfectiſſimi & ſeptimeſtres ratione & tempore conueniunt? latet me profectò, quænam alia eſſe poſſit, niſi ea ſit, quæ motionis tempus ſequitur, ter tantoque tempore menſuratur: de qua 6. Epi. par. 7. ſcriptum eſt ad hunc modum: ὑποδύναι ἐν περιόδοισι, ὅτι ἐν ἑβδομάσι κινέεσθαι, ἐν ἑβδομάσι τελειέεσθαι, καὶ ὅτι ἐν ἐνάτοισι κινέεται, ἐν ἑβδομάσι τελειέεται. hoc eſt, in circuitibus dolores fiunt, ob id quòd qui in ſeptuaginta diebus mouentur, in tertanto tempore perficiuntur: & qui in nonaginta mouentur, in triplo temporis ſpacio perfectionem conſequuntur. Quæ verba de diebus formationis, motionis, & partus haberi certo conſtat eis qui cum Manardo viro vndecunque doctiſſimo diligenter expenderunt, quæ Hipp. lib. De alimento ad finem ſcripta ſunt: vbi varias de ea re opiniones inſinuans, eſt & non eſt tandem attexuit. Quo nimirum apertè doceret, incertum eſſe tempus geſtationis, formationis, & partus, vt poſteà docebitur exactius. Verùm eam quæ tertanto tempore perfici fœtum aſſeuerabat, repetiuit citatis nunc locis: volens ſanè fœtum, qui ſeptuaginta diebus mouetur primùm, ducentis decemque diebus eſſe perficiendum. perinde ac inter dies formationis, motionis primæ, & partus, analogia quædam ſeruetur: & qui formatus eſt triginta quinque diebus, in ſeptuaginta moueatur, duplicato ſcilicet tempore, in triplo verò in lucem

Lib. epiſt. 16. epiſt. 1.

edatur consummatus. Sic itaque septimestres moueri dicentur septuaginta diebus: perfici verò, quod maximum est, ducentis & decem, hoc est, tribus decadibus hebdomadarum: quæ consimilis est omnino ratio, ei qua nonimestres decimestréue mouerí incipiũt nonaginta diebus, consummãtur autem triplicato tempore./Aut aliter ratio & tempus explicanda videntur, per ea quæ lib. De carnibus in hunc modũ scribuntur: τὸ παιδίον ἑπτάμηνον γενόμενον λόγῳ γεγένηται, καὶ ζῇ καὶ λόγον ἔχει τοιοῦτον καὶ ἀριθμὸν ἀρτεῖα ἐς τὰς ἑβδομάδας ὀκτάμηνον δὲ γεννόμενον οὐδὲν βιοῖ πώποτε. hoc est, Septimestris puer ratione fit, & viuit, rationemque habet & numerum integrum ad hebdomadas; octimestris verò generatus, nulla ratione viuit. Hac ergo de causa æquiparari videntur septimestres & perfectissimi, quantũ attinet ad rationẽ & tempus; vt hebdomadũ decade trina septimestres absoluãtur, alij verò quaternis, seu septenis quadragenariis. Sed quæ dicta sunt de septimestribus, subaudiantur oportet de his qui salui prodierũt, & perfectionẽ fuerunt adepti sibi debitam: qui sanè ante octauum mensem in lucem exeuntes periculum, quod in octauo mense subire solent fœtus, saltem vitauerunt. Est enim, vt anteà diximus, plurium causarum externarum subitus occursus, & insueta consuetudo, potissima causa ob quam octimestres intereunt, similiter & decimestres seu nonimestres: verùm crebriùs octimestres, quòd intra vterum sexti quadragenarij violentiam ac parum propitiam mutationem experiantur. Ob quam quidem, simul & causarum externarum alterationes, impossibile est superstitem euadere partum octo mensibus natum. De qua re fecit Hipp. seorsum lib. ad id dicato./Cur autem octimenses partus ita in vniuersum mortales pronuncientur, aut quæ sit ratio tanti discriminis, haud facilè scriptum inuenies: cùm in Auicen. & Arist. versatis maximè sit perspicuum, Aegyptios esse vitales: quinimò in Italia tales partus fuisse vitales, auctor est Plinius. Quamobrẽ haud quaquam sunt omninò è numero vitalium excludendi tales fœtus./Item astronomi, qui septem planetas mensibus grauidarum

Q o.

7. hist. 44. ca. Lib. 7.

darum accommodantes, Saturnum vitæ ex diametro repugnantem octauo menſi vendicauerunt: tam ſibi arriſiſſe videntur, & propriis dogmatibus, vt ea ſola ratione ſectam tueantur ſuam, nulla alia quæ ſit probabilis. nam cùm nullo non tempore, oriri poſſit embryo, & diuerſiſſimis temporibus varij naſcantur fœtus, cur ad omnium octauum menſem trahendus ſit Saturnus, ego non video: ſiue cur luna ad eundem menſem ſit perpetuò commouenda, ſeu ad tanti infortunij auctorem, quemadmodum Zimarra in Problematis voluit, iudicent peritiſſimi. Ergo ſicut in diebus decretoriis defendendis, obſeruatio ipſa plus virium habet, quæ legitimum cuique actioni declarat tempus, quātum ſcilicet requiratur ventriculi coctioni, quantum elixationi ad ignem conficiendæ, ac quantum maturationi fructuum: ſic quoque neglecta alia, ſiue arithmetica, ſiue aſtronomica computatione, ad ſolam obſeruationem, quæ ſeptem, quinqueúe quadragenarios probat; ſextum verò damnat, confugiendum videtur, in ea ratione quæ de partubus in præſenti eſt ineunda. Aſtronomica quippe, quæ impares facit mares, ac perinde fœcundos, rurſum pares numero fœminas, ex quibus debito iure coniugatis prolem reddi aiunt perfectam: ſicut ex duobus imparibus aut paribus, ſterile coniugiū reſultare, ad eum modum quo duos viros, aut duas mulieres ineptum facere coniugium conſtat. Illa inquam, hac ratione ſeptenarium laudat, nonum, quinarium, quòd ex mare & fœmina componantur: vituperat, ſenarium, duodenum, contraria cauſa. Quæ quoniam pari ſyllogiſmo, quatuordecimum eſt vituperatura, ſimiliter & vigeſimum, dies alioqui medicis probatiſſimos, redargutione quadam deprehenſa, peſſum ire ſponte cernitur: præſertim cùm decimum numerum alia ratione commendauerit, medicinalibus obſeruationibus perpetuò facinoroſum. Quare quod ſoleo alibi ſæpe profiteri, de tempore durationis actionum naturalium, nulla tradi certa poteſt ratio, præter experientiam: propterea quòd ſi rogaueris, cur hic ventriculus coquat cibos ſeptem horis, ille octo, ille verò alius pluri-

pluribus, aut paucioribus, nihil verius reſpõderetur, quàm id temporis eiuſmodi actionem deſtinaſſe, varium quidem, pro agentis cauſæ varia efficacia, & poteſtatis diuerſa menſura. Sic porrò ſolet phyſicis ſcriptoribus reſponderi, pro varia ſcilicet proportione facientis cauſæ ad ſubiectas ſubſtantias, variis in temporibus actiones abſolui, ac nunc quidem celerius, nunc verò ſerius. Iam verò, ſi vt probabimus, maxima pars fœtuum humanorum, decem menſibus in lucem editur perfecta, quæ ratio eſſe poteſt menſium, quæ aut ſeptenariũ, aut quaternarium numeros antiquitati tantopere celebratiſſimos, referat? profectò pari cenſu, in vndecimum aut nonũ, qui per quaterniones, aut intercidentes ſubſultant transferri deberent vitales partus: neutiquam neceſſariò in decimum menſem, qui de claſſe prorſus exiſtit prauè iudicantium, vti decimus ipſe dies. Quòd ſi de fœtura aliorum animalium libeat quamplurima teſtimonia conferre, certè nihil erit manifeſtius, ac in edendis partubus, haudquaquam ſeruari debere famoſam illam ſeptenariorũ, aut quaternionum dinumerationem: cùm pauones triginta diebus pullos excudant, equa geſtet vtero vndecim menſes decemq; dies, aſina menſibus duodecim, vacca decem, capræ ſimiliter & oues quinque menſibus, ſues quatuor, anſeres viginti nouem diebus; frigore verò vigenti, 30. diebus. Caſſius Dionyſius auctor eſt. Quinetiam nonnulla teſtimonia ex ipſo Ariſt. capientes, inuenimus aſſertum eſſe, tempora ferendi vteri pro magnitudine animantum quæ generantur deſcripta eſſe: nõ enim breui tempore conſtitutiones perfici poſſe magnas, vel animalium, vel aliorum autumat. Quo in loco, equum geſtare annum, alia denos menſes, elephantem biennio, certa quadam hiſtoriæ fide pronunciauit: quæ omnia ſi vera ſunt, haud dubiè nihil referre putandum eſt, ſeptimeſtris ſit partus aut octimeſtris, quantum attinet ad numeri rationem. Pariunt quippe dicta genera animantium, non ſolùm paribus menſibus, & numero dierum infidelium reſpondentibus, ſed & in imparibus & multa fide comprobatis: & quædam decem menſibus,

Lib. de agricultura. 4. de Gen. cap. 10.

menſibus, aût duodecim, in lucem ſe promunt, paribus nimirum menſibus, quædam biennio, aut quadriennio: ſicut rurſum alia ſunt, quę ſpacio temporis nimium diuerſo ſuas actiones peragunt, quæcunque illæ ſint, de quarum duratione nõ niſi diutina experientia nobis conſtare poterit. Quæ ratiocinatio, cùm in certa regione, quæ certo temperamento conſtat, fuerit deprehenſa, fit protinus vt non omnes regiones vniuerſim comprehenderit: quin potius in Aegypto calidiori multò, quàm Coos Hipp. patria, fieri potuit, vt qui in nouem menſibus conſummátur alibi partus, in octo perfici potuerint, hoc eſt celerius ob calorem efficaciorem. Hinc quoque haud abſurdum videri debet, ſi quinquemeſtris partus vitalis editus ſit apud Valentinos, feruentem ſanè plagam: ſicut & apud Madriti incolas nonnullos, obſeruatum ſentio, ex pudica matre honeſtiſſimamque viuendi rationem nacta, natum eſſe quinquemeſtrem vitalem. Nulla itaque ratiocinatione ſuadebor vnquam, ad aliquem temporis numerum amplectendum, actionis naturalis dimenſorem: niſi quatenus in illo contigerit, operationem eſſe abſolutam, per ipſumque explicari deinceps quantum temporis duratura ſit, plus minúſve.

CAP. V.

CAeterum multi fœtus ſeptimeſtres, cùm inuolucra laxantur, tranſeunt in id quod cedit, inibíque alimentum capiunt: per primos quidem dies quadraginta laborantes, hi quidem magis, illi verò minus, ob eam mutationem quam ex locis ſeu inuolucris, quæ ipſos aluerunt, ſunt paſſi, & vice vmbilici, per matrem ipſam labores ſuſtinent, præter id quod trahunt, & ſedem mutauerunt. Inuolucra porrò extenta, & vmbilicus conuulſus dolores inducunt matri: atque ipſe fœtus ex antiquo ligamento ſolutus, grauior redditur. Multæ autem

mulieres his contingentibus febricitant, pereuntque vnà cum partubus: verùm ab his laboribus breui tempore sese cunctæ expediunt.

COMMENTARIVS.

VIVVNT ob eas causas quas diximus, ex septimestribus pauci, sed multi pereunt ob dicendas iam: nam cùm prope natiuitatem est puer, siue defectu alimenti, siue loci angustia, siue ob aliam quamcunque causam, necesse est inuolucra rumpantur, eo ordine quem superius significauimus, fœtusq; ipsi locum mutent, μετεχώρησαν Græc. Pro vtero quidem, in aërem ambientem, qui facillimè cedit ingredientibus quibusuis substantiis: in quo sanè alimentum capiunt spirituum suorum, per inspirationem tracto aëre, similiter & per pulsificam dyastolen, vti Gal. monstrauit, & nos libello De pulsibus, prætereà & ex ipsis matris vberibus, lac sugentes, quo solidiores particulas reficiant. Patiuntur etiam per primum quadragenarium multos labores, ob subitas illas alterationes quas denuò faciunt, de quibus dudum dicebamus, dicemusque prolixius subterius: hasque, ipsorum nonnulli ægrius tolerant, fortasse quidem ob propriæ temperaturæ vitium, & natiuam debilitatem, alij verò minus ægrè, contrariis de causis, aut paulò quàm præcedentes, robustioribus. Explicuit partim causas, propter quas foràs egressi pueri, primis quadraginta diebus malè habeant, aut necis subire soleant periculum: nempe transit puer ex inuolucris vnà cum eo coalescentibus, ac coagmentatis, in externum nouumque aërem, & vmbilici vice, per quem alimentũ receperat eousque, ex ipsius matris mammis lactet, labores vitiaq; deuorat, quæ in ipso lacte consistunt, insueto hactenus alimento, vel ob hoc ipsum nocuo, trahit iam inde per proprium ventriculi appetitum nouum illi trahendi genus, ac demum locum mutauit. Quoniam verò, per matrem labores seu læsiones subire fœtum dixerat, quatenus vitia lactis combibere perspicuũ est, & nouo pastus genere vti, nunc iterũ illud interpretatur latius:

6. de vsu par.

latius: dicens, eo tempore quo inuolucra laxantur, ac dehiſcunt, pondere fœtus pendentis iam, diſtendi, vmbilicum velli tendiq́ue, cõſequenterq́; dolores matri accedere, cuius lac cùm ſorbeat fœtus, nõ poteſt non nocumenta ſimul exugere, ceu afflictæ matris humor, nonnihil ex eiuſmodi paſſionibus contaminetur, vitioſumq́; reddatur. Poſtremò, cùm in eo exiſtit articulo puer, in quo iam iam à vinculis diſſoluitur, oneri exiſtit matri, quòd parum deinceps, aut nihil à quoquam ſuſtineatur: in ipſoq́ue vteri oſculo remoratus ac impingens, diſtendendo moleſtias infert, donec prodierit. Figurauit hunc temporis articulum doctiſſimè Hipp. hæc ſcribens. Quæ pariunt maximè laborant, & inter eas primiparæ, propter inexperientiam dolorum: & dolent quidem totum corpus, maximè verò lumbos ac coxendices; nam coxendices diſparantur, verùm ex parte minus dolent. Si porrò in caput proceſſerit puer, caput primùm foràs prodit, deinde alia membra ſequuntur, poſtremùm vmbilicus; ex vmbilico autem ſecunda tenta eſt: inuolucra verò cùm tunc adhuc hæreant vteris, diſtenduntur, & vmbilicus qui illis ligatur. Hæc itaque omnia cùm parturientibus contingant, non leue periculum afferentia, meritò ſubſcripſit; Multæ itaque mulieres his euenientibus perimuntur vnà cum partubus, febrientes primùm, ob labores ſeu dolores quos in ipſo partu exantlauerunt: ac ſubinde, non ſine veriſimili argumento concluſum eſt, paucos ſuperſtites euadere ex ſeptimeſtribus. Verùm (inquit) omnes breui tempore ab his laboribus partus, ſeſe expediunt. Græcis, χρῶνται δὲ πᾶσαι ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ περὶ τούτου. Dictio quippe illa χράομαι, in bonã malámve partem vſurpari ſolet, diciturq́ue rectè, vti mala fortuna. Idcirco, Cornarius parum rectè hunc locũ tenuiſſe viſus eſt, dum vertit [verùm omnes in breui ex hoc contaminantur ac inquinantur.] Nihil porrò affirmaſſe plane videretur ea oratione Hipp. cùm iudicio meo apertam ſentẽtiam inculcauerit, quę breuiſſimo tempore puerperas à laboribus partus ſeſe explicare, perdoceat: nimirum, aut citò peribunt tot laboribus

Lib. de natura pueri.

bus oppreſſæ, aut parient, fauente optimo maximoq; Deo.

Dubitatio. An autem ſolùm alatur per vmbilicũ, quandiu in vtero moratur capaci ſinu, an potius per os quoque ſugat, dubitari poſſet: ſicut & illud, an per os proprium ſpiret, non contentus ea perſpiratione, quæ à corde matris diffuſa, ſecundum partem per vaſa vmbilicum adeuntia, in corpus deferatur pueri. Libello De carnibus, hæc literis prodita leguntur. Cæterùm puer in vtero comprimens labra, ex vtero matris ſugit, & tum alimentum, tum ſpiritum cordi intrò trahit, vbi mater reſpirauit: ſi verò quis interroget, quomodo quis hoc ſciat, quòd puer in vtero trahat, ac ſugat, illi reſpondetur: Pueri naſcuntur ſtercus in inteſtinis habentes, & vbi nati fuerint, celerrimè ventrem, tum pecora, tum homines exonerant: atqui non haberent ſtercus, niſi in vtero ſuxiſſent. Immò verò neque mammas ſtatim vt natus eſt, ſugere noſſet, ſi non in vtero ſuxiſſet. Alibi quoque monſtraſſe ſe illud arbitratus eſt, dum hæc ait: Pluribus rationibus monſtratur, per os ſugere & ſpirare, argumentis de ſtercore & appetitione mammarum ſtatim ab egreſſu, repetitis: reſpondetque haudquaquam deeſſe ſemitas, per quas trahatur alimentũ, præter vmbilicarias, Hipp. alludens lib. 6. Epid. qui ſic habet: τοὺς ἀφόδους ἀνευρίσκει ἡ φύσις αὐτὴ ἑαυτῇ, οὐκ ἐκ διανοίας· τὰ μὲν οἷον σκαρδαμύττειν, τὰ δὲ ἡ γλῶσα ὑπουργέει, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, ἀπαίδευτος γὰρ ἡ φύσις ἐκ τοῦ σάου μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέειν. hoc eſt, natura ipſa ſibi ſemitas excogitat citra diſciplinam; illa quidem, vt nictare, hæc verò vt linguæ locutionem, & quæ ſunt huiuſmodi: indocta quippe natura ex ſeipſa diſcens, quę expediunt, facit. Et qui motum cordis & arteriarum optimè nouerunt, minimè à voluntate pendere, facilè iudicabunt neceſſariò ipſa moueri, & ſpiritum dum dilatantur vndecunque ad ſeſe allicere: ſicut & thorax ipſe inſpiratu trahit quocunque tempore ſurſum deorſum moueatur, quemadmodũ in animali neceſſum eſt cieatur irrequieta motione. Non dubium igitur, quin in vtero conſiſtens puer, & ſugat ore vicinas humiditates, ex quibus quanquam paucis, temporis progreſſu

Lib. an animal ſit, quod in vtero eſt.

greſſu ſtercus aceruat, μηκώνιον, Ariſt. dictum: & tum per pulſificam motionem, tum etiam per thoracẽ factam dilatationẽ, trahatur aër per proprium os, temperaturus cordis exceſſum, quemadmodũ in natu maioribus fieri perſuaſum eſt. neque video, quibus argumentis tueri cõtrariam opinionem valeant alterius ſectæ patroni: ac qua demum verſutie, ſpirationis munus impeditum eſſe toto tempore geſtationis propugnent.

CAP. VI.

INquiunt octonos menſes difficillimè ferre vteros, rectè ſanè id dicentes: eſt autem menſis octauus, non ſolùm hoc tempus, ſed & dies accedunt à ſeptimo & nono, et ab ipſo anno. Verùm dies haud ſimiliter dicunt neque cognoſcunt mulieres: decipiuntur etenim, ob id quòd non eadem ratione fiat, ſed aliquando à ſeptimo plures dies accedunt ad quadraginta, aliquando à nono. tunc enim neceſſe eſt fieri, prout contigerit mulierem in ventre concipere, in menſe temporeque. Menſis autem octauus minimè dubius eſt, in hoc enim iudicatio difficilis efficitur.

COMMENTARIVS.

TESTIMONIIS ab ipſis mulierculis petitis, ſtudet octimeſtres partus prorſus vituperare, conſequenterque octauum ipſum menſem: referunt ſiquidem interrogatæ, in octonis menſibus à conceptu, ſe malè perpetuò geſſiſſe, octimeſtresq; natos non manere ſnperſtites cõteſtantur. Sed & noſtra tempeſtate, vix reperias imperitiſſimam quanque fœminam, quę non deteſtetur partus octauo menſe editos: aut à ſuis maioribus edocta prius, aut quòd ipſa per ſe periculum fecerit, aut à coëtaneis fuerit admonita ſedulò. Libello de octimeſtri partu in vniuerſum protulit, nullum eiuſmodi vnquam vixiſſe: experientiam profectò ſuam, & quam interrogatione aſſequi

potuit ſimpliciter pronuncians. Aliorum verò ſi ſequeretur obſeruationē, eorum præcipuè, qui Aegyptiacam plagam incolebant, multò moderatius eſſet locutus: niſi quiſquam Hipp. vellet acerrimū ſe adeò præbere defenſorem, vt Ariſt. aut culpet credulitatis, quam ταχυπιθείαν Græci dicunt, aut de experientia minùs diligentem examinatorem. Sed redeuntes ad inſtitutū, conemur, ex obſcuriſſima alioqui Hipp. oratione, proficuam aliquam ſententiam eruere: quod vt fiat egregius, accipiamus conceptum fieri aut in ipſis interluniis, aut ante plenilunium, aut decreſcenti luna. Si in ipſis interluniis conceperit, rariſſimè quidem fiet, idque in illis potiſſimùm mulieribus, quibus accidit vel in ipſo méſium fluentium impetu ſemen maſculinum retinere: propterea quòd parciſſimè purgari ſint natæ, de quibus Ariſt. quæ ſequuntur, ſcripſit: Nonnullæ (inquit) etiam dum profluunt menſes, concipiunt, poſteà concipere nequeunt, quibus vulua ſtatim à purgatione comprimitur: de quibus quatuor lineis interiectis, anteà ſic ſcripſerat · Conceptus mulieribus à profluuio menſtruorum ſua natura contingit, & quæ his carent, ſteriles magna ex parte conſiſtunt: verùm fieri poteſt, vt aliquæ etiam ſine eorum effluuio concipiant, videlicet quibus tantum humoris colligitur, quantum his quæ purgantur reſtare ſolet, quanquam non tanta copia, vt foràs poſſint effluere. Alibi hoc idem aſſeruit, dicens, Impoſſibile eſt concipere ſine menſtruorū excremento, quòd aut redundās foràs profluxerit, aut intus ſatis ſit. Inde capitis principio deduxit, fœminā eſſe lunarē, quòd ſimul cū decreſcenti luna purgetur, & ſimul rurſum repleantur ambę: cuius conſenſionis ratione, quarto De generatione, cap. 2. exarauit ingeniosè admodum, inquiens: Decreſcenti luna tempus exiſtit frigidius & humidius, quod equidē ad abundantiam excrementorum minus coctorum facit, à quibus eo tempore fœmineum corpus cupit exonerari. hæc ille. Quamobrē, quibus pauci menſes effluere ſunt apti, in ipſo tempore interlunij poteſt accidere conceptus, ob eam quam reddidit Ariſt. cauſam:

7. hiſt. cap. 2. & 4. de gen. cap. 4.

ſam: quod quidem, quoniam rariſſimè vſu venire conſueuit, peculiarem fecit diſciplinam, neutiquam eam, quæ vt plurimum contingit. De qua Hipp. multis locis diſertè ſatis verba faciens, vniuerſalem collexit diſciplinam, quæ neceſſarium eſſe profitetur, in ventre concipere poſt menſtruas expurgationes, vbi ab illis fuerint expeditæ: ac tandem in hæc poſtremò verba prorupit, Oportet igitur mulieri tempus dare menſis, in quo ipſa purgatio continget, & hoc tempus quibus breuiſſimum fit, ſunt tres dies, pleriſque autem multò plures; ſuntque alia impedimēta multa etiam in viris, ex quibus conceptus retardatur. Ex his veluti perorans, concluſit neceſſarium eſſe pleraſque mulierum circa plenilunium & vltra concipere: quibus equidem luce clarius conſtat, vt plurimùm concipere mulierem poſt menſtruas purgationes, quod Galenus lib. De ſemine, & Ariſt. loco citato conteſtantur. Cumque minimum, biduum, vt Ariſt. ait, triduúmve; vt hîc Hipp. menſtruam purgationem patiantur, per id temporis tardari conceptus, quod minimum eſt, veriſimile eſt: maximum etenim, tardari poteſt in aliis quidem quinque dies, in aliis verò ſeptem, ſerius aut citius prout durauerit menſtrua purgatio, & ne quidquam virilem congreſſum præpedierit. Quare aut prope plenilunium fiet, aut vlterius. Si prope plenilunium conceperit, eos duntaxat dies primus menſis conceptionis accipiet, qui ſuperſunt, detractis illis, per quos expurgata eſt mulier, aut vir concubitum diſtuliſſe voluit: ſi poſt plenilunium tranſactum, cùm de primo menſe paucos acceperit dies, fit protinus, vti partus ad plures menſes prorogetur quàm ſeptem, tanquam parum aut omninò nihil conferre videantur pauci illi dies ad fœtus exactam perfectionem. De qua re paulò profundiùs Hipp. contemplatus, eiſdem locis, hæc aſſerenda ſcripſit: Cùm vltra plenilunium mulier concipit, neceſſe eſt eum conceptum vndecimum menſem attingere, pariter ac apprehendere, quò ad vltimum circuitū peruenerit. Cuius aſſertionis cauſam reddidiſſe viſus eſt Ariſt. quando decrementum lunæ frigidum & humidum ſtatuit,

Lib. de natur. pueri, & de octimeſtri partu.

loco citato.

ſtatuit, crementum verò calidum : nunc verò qui tempore frigido, hoc eſt decreſcenti luna concipiuntur, ſerius abſoluentur, quàm qui tempore calido, hoc eſt, creſcenti eadem, generantur. Eadem fermè cauſa, ſeptimeſtres breuiori tempore perfectionem ſibi debitam adipiſcuntur : in illisque, primi menſis ac vltimi plus dimidio menſe. Efflagitauit Gal. perinde ac in tam breui temporis ſpacio, nequiret effectus integer produci, niſi magna pars menſis motionem metiretur. Sed redeamus ad penſum. Menſis octauus non tantùm hoc tempus eſt, hoc eſt, præciſi illi dies, qui octauo reſpondent, ſed à ſeptimo capit & nono, nunc plus nunc minus; quod fortaſſe de ſexto quadragenario prudenter edixit, qui octauo menſi tribui cenſetur, quique partem accipere ſeptimi menſis, partem etiam noni, prout conceperit mulier in menſe temporeque, affirmatur. Quanto enim pauciores dies primi menſis computantur, in ea temporis ratione, quæ de geſtatione fœtus habetur, tantò ſunt plures enumerandi ipſius ſeptimi ad quintum quadragenariũ: & quantò plures fuerint de ſeptimo ſupputati dies, tantò plures erunt è nono capiendi ad ſexti quadragenarij conſtitutionem, quem diximus octauo eſſe vendicandum, & è conuerſo. Quocirca, rectè dixit diuiniſſimus Hipp. nonnunquam plures dies accedere ad quadragenarium ex ſeptimo, nonnunquam ex nono, ſecundum rationem quam dudum inculcauimus: quam diuerſitatẽ cùm mulieres nequeant attingere, haud poſſunt in reddenda ratione tempore geſtationis non hallucinari. Sed id ſanè minimè vertitur in dubium, octauum menſem perperam indicare ſcilicet, erga partuum præſagitiones : quod anteà ſua ſententia iterum affirmauerat Hipp.

Lib. de ſeptimeſtri partu.

CAP. VII.

ET mea ſententia, pars menſis menſis eſt, vt hæc memorabilis exiſtat. Oportet autẽ fidem haudquaquam denegare mulieribus, circa ea quæ de partubus referuntur:

feruntur : Dicunt etenim omnia & ſemper dicunt, ac pronunciant, neque enim opere aut ratione ſunt perſuaſæ, ſed in propriis corporibus id fieri cognouerunt. Licet ſanè volentibus aliud dicere; quæ vero iudicio ſunt præditæ, & certæ eſſe deprehenduntur erga hunc ſermonem, perpetuò affirmant dicuntque, ſeptimeſtres, & octimeſtres, nonimeſtres & decimeſtres, vndecimeſtresque partus edi : ex quibus octimeſtres non ſunt vitales. Inquiunt etiam, plures aborſus fieri in primo quadragenario : necnon alia quæ ſcripta ſunt in quadragenariis, & ſingulis menſibus accidere.

COMMENTARIVS.

PRIMA orationis huius particula, aliter ſcribitur in codice Veneto, ac legebat Cornarius. Sic enim Græcè, κατ' ἐμὲ καὶ τὸ μέρος ἐν τοῖς ἑνδεκα μησὶ, μήν ἐστι, ὥστε τέλον οὐ μνημόνευτον ἔχει. hoc eſt, mea ſententia, pars menſis vndecimi menſis exiſtit, etiamſi memorabilis non ſit. Ita vt hoc notetur diſcriminis inter vndecimum & alios menſes : quòd aliorum plus dimidio requiratur, quemadmodũ ex Galeno, in præcedenti commentario ſumus interpretati ; in vndecimo verò ſufficiat minor portio ipſo dimidio. Quod conſtat liquidò, ex eo quòd libello de octimeſtri partu, ducentos & octoaginta dies ſæpè menſem vndecimum attingere pronunciauit, qui ſeptem quadragenarios efficiunt, & quatuor hebdomadũ denarios : quod fieri haudquaquam poteſt, niſi ſatis ſit, in paucis diebus vndecimum attigiſſe menſem. Quem ſenſum, fortaſſe Plinius alioqui in enodandis obſcuriſſimis pigerrimus ſcriptor, illis inſinuauit verbis : quæ humanos partus admittere videntur ſeptimeſtres, octimeſtres, vſque ad initia decimi & vndecimi. Quòd ſi memorabilem portionem cuiuſque menſis poſtulaueris, quemadmodum Cornarius volebat, Oedipo expoſitore opus eſt : ac ne ſic quidem Hippocraticam aſſertionem aſſequêris, quæ ſeptem quadragenarios vndecimum

menſem pertingere manifeſtè declarat. Sed quæ de tempore geſtationis fœtus aſſeruntur, probat experimentis ab ipſis puerperis acceptis : quæ perpetuò confitentur, in ſeptem, octo, nouem, decem vndecímve menſibus fœtum edi contingere, ex quibus ſolos octimeſtres minimè vitales eſſe dicunt. Iuſtiſſimaque ratione id fieri debere Hipp. ſuadet inquiens, ſeptimeſtres ſecundum rationẽ viuere & naſci, ſimiliter & nonimeſtres decimeſtresque: nempe ſeptimeſtres ad tres denarios hebdomadum habent rationem ; nonimeſtres verò ſimul & decimeſtres, ad hebdomadũ quartum denariũ, quorũ nihil octimeſtribus partubus accidere certò cõſtat eis, qui ad calculum hęc omnia retuliſſe pluris fecerint. de quinquemeſtribus verbum nullum, quos tamen contingere poſſe noſtra vidit ætas, vti duobus exemplis dudum patefeci; tametſi Plinio viſum fuerit, ante ſeptimum menſem haud vnquam vitalem fœtum produci, & Auicenna primum menſem vocauerit partus, ſeptimum menſem ab ipſa conceptionis die. An autem duodecimeſtres, & terdecimeſtres admittendi ſint, verti poteſt in dubium, Ariſt. Hipp. in hanc ſententiam conſentientibus, quæ à ſeptimo menſe ad vndecimum vſque extendi humanos partus exiſtimat, tanquam ad vltimum circuitũ : quibus accedit id quod Ariſt. ipſe 7. Hiſt. cap. 4. decreuit ad hunc modum: Cùm cætera animalia vnicum tempus ſtatum pariendi habeant, homini vni multiplex datum eſt: nam & ſeptimo menſe, & octauo, & nono, & decimo maxima ex parte; nonnullæ etiam vndecimum attingunt, ex quibus qui maturius ſeptimo naſcuntur, nullo pacto vitales eſſe queũt. Et vt Aulus Gellius auctor eſt, Adriano Imperatore vndecimo menſe natus, aſſertus eſt eſſe legitimus. Contrarium verò ſenſit Iuſtinianus, dum eiuſmodi puerum ſpurium habendum eſſe declarauit : tametſi philoſophorum placitis conſonum ſit, ad vndecimum menſem poſſe pertingere vteri geſtationem. Quinimò vti Plinius refert, Maſſurio auctore, Lucius Papyrius prætor, ſententiam tulit pro eo qui terdecim menſibus vtero fuit geſtatus, ipſumque conſti-

Lib. De octimeſt. part.

4. De gen. cap. 4.

conſtituit paternorum bonorum legitimum hæredem, atque ſucceſſorem. At verò, ſi Hippocraticam obſeruationem pariter ac Ariſtotelicam mendoſiſſimis Plinij teſtimoniis liceat prætuliſſe perpetuò, vndecimum menſem conſtituamus partuum humanorum vltimum terminum neceſſe eſt: quanquam hunc rarenter admodum philoſophorum maximus admiſerit; decimum verò, τὸ πλεῖστον, hoc eſt, maxima ex parte concludere partum ſignificauerit: ſic enim Græcè, καὶ γὰρ ἑπτάμηνα καὶ ὀκτάμηνα & ἐννεάμηνα γίνονται, καὶ δεκάμηνα τὸ πλεῖστον, ἐννέα δὲ ὑπολαμβάνεσι καὶ τὸ ἐνδεκάτου μηνός. hoc eſt, Etenim ſeptimeſtres, & octimeſtres, & nonimeſtres fiunt; necnon decimeſtres maxima ex parte: nonnullæque vndecimum menſem pertingunt. Prædicta igitur menſium diuerſitate naſci fœtus humanos cenſuerunt philoſophantes; prout à cauſis calidis, tum in vtero, tum forinſecus circunſtantibus, maturius produci conſueuerunt, à frigidis verò ſerius. Vnde fœminas tardius formari, moueri, atque in lucem prodire certum eſt, quàm maſculos ipſos; quòd hos multò calidior fouerit cauſa; illas verò aliquanto frigidior. Sed maxima ex parte decimeſtres naſci, apertis ſermonibus oſtenſum eſſe, hoc eſt, quod ſuadere contendimus. nimirũ præter adductã ex Ariſt. ſententiã, id probare videtur egregiè Hippocraticus diſcurſus: qui longè lateque diuagatus, decimũ menſem, colophonem poſtremum tandem deſignat partus humani, maxima ex parte. De hoc quippe palàm diſceptans, ἐν δεκαμηνὶ γινέσθαι ταῦτα τὸ μακρότατον, hoc eſt, in decem menſibus fœtus naſci quod longiſſimum eſt, ſcripſit: ad huncq; peruenire tempus addit, niſi ob violentiam aliquampiam irritatus puer, ante præfinitum tempus ruptis pelliculis exire cogatur. Rurſum adiecit: Quinetiã alimentum à matre puero prius defecerit, etiam ſic partus matri prius aduenit, & ante decimum menſem puer prodit: neque hîc demonſtrationem ſiſtere voluit, ſed vlterius pergens, non geſtari vltra decimum menſem, confirmare videtur, dum deceptas eſſe, quæ contrarium aſſeuerant mulieres, nititur ſuis coniecturis ſuadere.

Lib. De nat. pueri.

dere. Duabus præcipuè illud monſtrat: altera quippe, quòd ſæpius in vtero ſpiritum flatuoſum conceperint, à quo intumeſcens, ſpeciem conceptionis referat: altera verò, quòd menſibus nõ profluentibus ſpectato tempore, nonnunquam contingat vterum in tumorem eleuari, abeoque tempore, ſubſecuta poſteà conceptione, ſoleant geſtationis vteri durationem computare. Quam Hippocratis coniecturam intuitus haud oſcitanter Peripateticorum primus, improbat nimium ex profeſſo eas quæ diuturniore tempore, quàm vndecimo menſe, geſtari fœtum ſentiebant: Latet (inquiens) mulieres conceptus initium, ſi cùm anteà inflatus fuerit vterus, vt ſæpè accidit, pòſt coïerint atque conceperint: hoc enim eſſe principium conceptus exiſtimant, quod ſimile indicium attulit. Rogaui ego identidem quamplurimas mulieres, quæ de partus geſtatione, atque conceptione exactiſſimam rationem reddere videbantur, ac cum iudicio haudquaquam vulgari: quæ omnes, nouem menſes verè ſupputabant, relicto illo, in cuius fine menſtrua purgatio defeciſſe primùm notabatur. Imò ex his aliquot, non ſolùm illum menſem fore relinquendum contendebant, ſed alterius quindecim dies detrahendos eſſe calculo, qui cum quindecim aliis primi menſis, menſem conſtituerent: ex qua profectò computatione, decimeſtres exultare tales partus, ac nonnunquam vndecimi menſis principium attingere, tam eſt apertũ, quàm quod maximè. præcipuè cùm opportuniſſimum tempus cõceptionis illud eſſe credatur, quod proximè ſequitur menſtruam purgationem: conſequenterque grauida cenſeri debeat iam per vnicum menſem, antequam deficere primum menſtruæ purgationes obſeruentur. Quod ſi ita habet, vt decimeſtres ſint partus humani, maxima ſaltem ex parte, cur tantopere in reddenda ratione diuerſitatis, ad criticorum dierum menſiúmve certos numeros confugere ſunt ſoliciti curioſiſſimi alioqui ſcriptores? Siquidem decimus menſis, extra illos penitus exſtat exiſtimandus, qui vel eorum iudicio comprobantur. Aiunt etiam conſultæ mulieres, plures abor-

ſus

ſus in primo quadragenario, & alia quæ ſcripta ſunt accidere: ῥοσμὲς nominauit Hipp. quos Ariſt. ἐκῥοσμὲς, corruptiones ſcilicet quæ fiunt μεχρί τῶν τετραάκοντα, hoc eſt, ad quadraginta dies: nam quæ intra ſeptem dies poſt cõceptionem contingunt, corruptiones κυημάτων, ſeu conceptuum, effluxus dicuntur Græcè ἐκρύσεις. Eiuſmodi porrò ſeminis effluxiones, ſi intra ſeptem primos dies apparuerint, opinionem conceptionis prorſus delere pro comperto tenẽt peritiſſimi: quemadmodum ſi eodem tempore nequaquam eas excidere conſtiterit, certam eſſe conceptionem audent iam inde polliceri. Sed alias notas addiderunt antiquiſſimi, quibus exactius deprehendi valeat, certiſſima, de conceptione habita, notitia: quarum prima eſt, ſi ſtatim à congreſſu locus muliebris ſiccus extat, quod ſemen ad vterum allectum eſſe monſtrat, nequaquam ad muliebria defluxiſſe, ſi vteri contractionem ſentiat mulier, vnde ipſa conceptio σύλληψις denominata eſt, ſi horror ſtatim ingruit & calor, dentiumq; ſtridor conſequitur, ſi conuulſio totum corpus occuparit, aut articulos, & vterum ſegnities ac torpor inceſſerit, lib. De genitura hæc ſcripſit. Poſtquam autem mulier coiuit, ſiquidem conceptura non eſt intra ſeipſam, procedet foràs pro more ab vtrique genitura, vbi fœmina volet: ſi verò conceptura eſt, non procedit foràs, ſed manet in vtero genitura. Nam vteri ſuſceptam & concluſam in ſe continent, oſculo nimirum prę humiditate contracto ac concluſo: ſimulque permiſcentur, tum quæ à viro venit, tum quæ à muliere emiſſa eſt. Quòd ſi fœmina perita eſt partus, & cognouerit quando genitura nõ exciderit, ſed intus manſerit, ſciet qua die intra ſeipſam concepit. In hac diſciplina verſatus ſtrenuè Galenus, trifariam probare conatur intus manere ſemen ſi cõceperint, primùm quidem, quia quæ concipiunt, retinent: quæ excernunt, non concipiunt. ſecundò, quæ fiunt grauidæ, ſentiunt in vulua motionem quandam, quæ quodam modo conuellit, ac contrahit, vnde ſyllepſis. tertiò, ſcriptorum auctoritate, qui in cõcepturis mulieribus, genituram intus manere ſimpliciter affirmant.

Lib. de natura pueri, & Ariſt. lib. 7. hiſt. cap. 3.

conceptionis ſigna

Ariſt. ibid.

Lib. De carnibus.

Lib. De ſemine.

firmant. Verùm eiſdem locis conſtabit, eas notas conceptionis flagitari in illis mulieribus, quæ puro gaudent corpore: nam quę muccoſo craſſoq; humore refertum corpus gerunt, nihil fermè iſtiuſmodi percipiunt, eorum quæ diximus. Ex quibus abundè liquet, non niſi nimium imperitas partus, & hebeti ſenſu præditas, ignorare diem cõceptionis: cuiuſmodi fortaſſe ſunt, quas Ariſt. ſine voluptatis ſenſu coire voluit. ſic enim ſuo loco diſſeruit. At ſine ea voluptate quæ fœminis per coitum euenire ſolet, concipitur: ſi locus turget, & vulua deſcendit propius. Alia ſcribuntur indicia conceptionis increſcentis, de quibus pluribus in locis aſſertum eſt: ſed, in ilijs, præcipuè gracilium, inſolita moles euidentius incipit apparere, mammæ turgeſcunt, faſtidia ſuperueniunt, & pitta Græcis nuncupata, hoc eſt, prauorum eduliorum appetitus. Sed quæ cæteras obumbrat notas conceptionis, illa perpetuò mihi arriſit, quæ vteri os concluſum eſſe citra tumorem tactu percepit: quæ non niſi obſtetricibus eisque peritiſſimis patère poterit vnquam. Aliæ porrò quæ in vrina, aquæ mellis experimento, faſtidio, pitta, obſeruari conſueuerunt, de quibus in commentariis De vrinis, & Aphoriſmorum ad ſaturitatem vſque diſceptauimus, caduca nimis fulciuntur ratione, & vaniſſima interdum coniectura: nihil etenim aut in corpore, aut in excrementis, permutatum inuenies, quod non aut morbi manifeſti, aut ſaltem nos latentis cauſa accidere poſſit egregius. Sed vt dixi alibi, ſunt hæc diſceptata locupleriùs. Illud hoc loco libentiſſimè monebo, quod medicantibus valde puto fore proficuum, quodque lib. De morbis muliebribus extat pulcherrimè exaratum, quod ſic habet: Quæcunque viro cohabitantes in ventre habere non poſſunt, interrogandæ ſunt, an ipſis menſes prodeant an non, & an purulenti ſint aut frigidi; ſiquidē igitur reſponderint, interrogentur, an ſtatim exeat genitura, an poſtera die, aut tertia, aut ſexta, aut ſeptima. Si itaque dixerit ſtatim à coitu exire, vteri oſculū rectum non eſt, ſed diſtortum, & genituram non capit; ſi verò dixerit poſtera die, aut tertia, vterus prehumectus eſt, & ſemē eluitur:

Lib. 2. De gen. cap. 4.

eluitur: si verò sexta aut septima, semen putrescit, putrefactumque exit. Ergo, quæ supersunt declarantes, maximi pretij existimamus esse tres quadragenarios; quorum primus à conceptione notatur, vsque ad primos quadraginta dies, secundus octauum mensem circiter constituit, tertius ab ipsa natiuitate computatur: de primo, quique post conceptum ipsum sequitur, multa proferet Hippocrates, propè finem huius tractationis, quorum omnium compendium hoc est: nempe maximi æstimari, si primos quadraginta dies incolumis euaserit fœtus, & absque aborsu, ceu posthac nihil eiusmodi perpessurus: quod quidem rogatæ puerperæ comprobant apertè, dicentes plurimos aborsus in primis quadraginta diebus contingere, & alia, de quibus dicemus. Quæsiuit prudentissimè medicinalium præceptorum parens Hipp. nunquid à menstruis facienda sit mensium gestationis computatio, an potius à die conceptionis: ad quam quæstionem verè ille haudquaquam respondit, ceu rem apertissimam in quæstionis ambiguitatem conuerterit: respondet tamen Iacobus ab vtroque tempore id esse faciendum. At cùm ille minimè explicarit, vtrum esset potius, aut saltem quando ab alterutro, præter id quod falsò de controuersa re disseruerit, peccauit maximè dum sine distinctione descernit. Ego verò, vt qui optimè nouerim, tempus mensorem esse rerum durationis, ab eo tempore subducendum esse calculũ puto, à quo res ipsa incipit consistere: quæ cùm à die conceptionis illud verè obtineat, ex eo proculdubio computatio gestationis vteri extat nobis ineunda: à mẽstruis verò, nõ nisi cùm neutiquam constiterit, de die conceptionis, ceu à re probabili; secundum hactenus persuasam disciplinam, quæ post menstruas purgationes syllepsim sequi docuerat anteà. Quæ cùm multis de causis impediri possit; à verisimili coniectura transgressis, ad eam quæ certissima est, quæque horam conceptionis inuestigat, transeundum esse censeo, dum licet.

Dubitatio.

2. Epid. part. 3.

Valentinus 2. Epimion.

CAP.

CAP. VIII.

περιραγέωσιν.

CVm autem ſeptimo menſe membranæ ×rumpãtur, & fœtus ſeceſſerit, labores excipiunt, qui circa octauum menſem & ſextum quadragenariũ enarrantur: hoc autem tempore prætereunti, quibus bene futurum eſt, inflammationes, & fœtus & matris exoluuntur, ita vt venter mollior reddatur, tumorque ab hypochondriis & inani parte in loca inferiora deſcenderit, ad facilem tempore partus progreßionem, & ad hoc quod ſeptimo quadragenario exinde vt plurimum fœtus prodeant.

COMMENTARIVS.

INCIPIT oratio hæc Græc. ὁταν δὲ τῳ ἑβδόμῳ μηνὶ περιραγέωσιν οἱ ὑμένες καὶ τὸ ἔμβρυον μεθαχωρήσει, ὑπέλαβον οἱ πόνοι. In qua aut ſeptimeſtres partus inſinuat, ac perinde rectè Cornarius vertebat, [cùm autem ſeptimo menſe membranæ rumpuntur] aut potius eos qui ſeptimo menſe commoti, ob robur virium quo pollêre creduntur, octaui menſis labores, inſontes ſuſtinere valent, quouſque aut nono aut decimo menſe, ſalua re, producantur foràs. Sed poſteriorem ſententiam libentius amplector, vtpote quæ cum ſequentibus maximam habeat connexionem, & apertè faciat ad totius commentarij explanationem commodam. nam ſi ſeptimo menſe nati enarrantur hoc loco, quo pacto octaui menſes labores ſubibunt, ac prætereà illum prætergredientes grauidæ, ab inflammationibus & aliis tumoribus liberabuntur, eouſque ſeptimo quadragenario fœliciter admodũ in lucem edantur? præſtabilius igitur eſt, de his haberi ſermonem, qui ſeptimo menſe agitari incipiunt· qui ſi ſequentis menſis labores deuorauerint, citra mortis periculũ, maximo exiſtit argumento, eos ad præfinitum tempus poſſe peruenire, quod ſeptimo quadra-

quadragenario concluditur. Quocirca ſic eſt vertenda præfata commentarij particula, [cùm verò ſeptimo menſe membranæ colliduntur, & fœtus locum mutauerit, excipiunt labores, &c.] Neceſſe eſt etenim, fœtu ſeptimo menſe agitato, inuolucra fœtus allidantur diſtendanturque, mutetq; locum ex parte fœtus: qui ſi præ virium robore labores quos ſextus quadragenarius afferre ſecum conſueuit, euicerit, nono aut decimo menſe, quos ſeptimus quadragenarius conſtituit, naſcetur fœliciſſimè. Porrò ſi quis per otium expendiſſe voluerit ducentos octoagintaque dies, quibus conſtat ſeptimus quadragenarius, ſubduxeritque decem menſium dies ad calculum; inueniet abſque vllo negocio nonum decimumque menſem intra illum contineri. Exempli cauſa, capiamus primi menſis minimum decem dies, quos ducentis triginta ſex iungamus octo intermediorum menſium, reſultabunt equidem ducenti quadraginta ſex, quibus ſi deinceps viginti nouem cum ſemiſſe copulaueris, exultabunt ducenti octoaginta, demptis quatuor diebus & ſemiſſe, quibus vndecimum etiam aliquatenus attingit computatio. Memineris obſecro, in huiuſmodi arithmeticis ſupputationibus partem quantulancunque menſis eſſe menſem, vti Hipp. met exhortatus eſt anteà; dempta ea, quæ de ſeptimeſtribus habetur, in qua, primi menſis & vltimi plus dimidio capiendum eſt, ſi Galeno adhibenda fides eſt vlla. Ergo, qui pericula menſis octaui euaſerit fœtus, commodè pellet morbos eo tempore inſultantes: & eſto, eos omninò non fugerit, ad infimas deiectiſſimasque partes deturbabitur, intumeſcentque crura, quemadmodum vulgò contingit vtero gerentibus. Quibus equidem mederi non admodum ſatagunt medici, ſpectantes interim, vti ſimul cum pueri egreſſu, plurima humorum colluuio exeat; quæ ab his quæ corpus inſultabant malis, puerperam liberabit, bona fortuna.

CAP. IX.

LOci quippe ipſis molles reddũtur, & tranſmutationes promptiores & crebriores, ac perinde ad partum expeditiores conſiſtunt, & per totum quadragenarium: hos vltimos dies, mulieres perferunt facilius vteros, eouſque puer commodè vertatur, exindeque dolores ac labores incumbunt, donec & à puero & ſecundis liberentur.

COMMENTARIVS.

VBI ſalua res eſt, & potuit fœtus in ſeptimo menſe nimium agitatus, labores ęrumnáſve, quos octauus menſis per totum ſextum quadragenarium ſecum ducit, exuperare; cõſentaneum eſt, expulerit quoque morbificas affectiones, ſi quæ eo tempore pullularunt: quibus ſuperatis, par eſt, venter mollior effectus, expeditior fiat ad partum futurum, & commodam pueri conuerſionem, hoc eſt, in caput. Naſci nanque puer ſolet, aut in caput, aut in pedes, aut penitus obliquus: prima ratione procedit ſecundum naturam, eo quòd grauiſſimę partes deorſum ferantur perpetuò, cuiuſmodi eſſe caput videtur, ſi ex vmbilico perpendamur, quemadmodum puer pendet, intereà dum vtero matris, affixus permanſerit. Cætera verò, præter naturam naſcuntur, ſiue in pedes deuoluantur, ſiue obliquo corpore irrumpere procliues apparuerint: ſic enim eodem lib. ſcriptum eſt. Porrò diruptis pelliculis, ſi pueri, ῥοπὴ, id eſt momentum, in caput inclinarit, mulier facilè parit: ſi autem obliquus aut in pedes proceſſerit, (contingit enim hoc ſæpè, ſi momẽtum huc inclinarit, ſiue præ vterorum ſpacioſitate, ſiue ſi mater in laboribus partus, primùm non quieuerit) etſi ſic proceſſerit, mulier difficulter parit. Multæ autem vel ipſæ perierunt, vel puer, aut ſimul matres cum fœtubus. De his rurſum lib. De morbis muliebribus, ad hunc modum: Si verò mulieri in ventre habenti

Hip. de nat. pueri. Auicenna. Gal. 1. de vt.

habenti, tempus partus iam affuerit, & dolor partus tenuerit, & ad multum tempus mulier puerum edere nõ potuerit, omnino obliquus aut in pedes procedit: vtile autem eſt in caput procedere, etſi obliquus iter capeſſerit, difficilis eſt affectio. Sicut enim ſi quis in vas olearium anguſti oris nucleũ miſerit, non ꝓcliue eſt ipſum extrahere: ſic ſanè etiam mulieri, grauis affectio eſt, vbi fœtus fuerit obliquus: graue eſt etiam ſi in pedes declinarit, & ſæpè aut matres pereunt, aut pueri, aut ambo; eſt autem magna cauſa vt non facile exeat, ſi aut mortuus, aut ſyderatus, aut duplicatus fuerit. Paulò ſubterius eodem libro ſic ſcribitur: Quicunque verò, duplicati complicantur, & in oſculo vterorum incumbunt, eos ſiue viui fuerint, ſiue mortui, rurſus retrò protruſos vertere oportet, quò ſecundum naturam in caput exeant. Cùm aut retrudere voles, aut vertere, ſupinæ ipſi reclinatæ molle quiddá ſub coxas ſubſternere oportet, & ſub lecti pedes, quò altiores ſint hi, à pedibus ſemper aliquid ſupponere, ſed & coxæ altiores capite ſint, & vt nullum ceruical ſub capite ſit, prouideto: cùm verò retruſus fuerit fœtus, & hinc atque illinc obuoluitur, vt ſecundum naturam conſtituatur, quidquid ſub lecti pedes ſuppoſuiſti, ac lapides & quod ſub coxas ſubdidiſti, ſubtrahito. Capiti verò puluinar ſubiicito, atque talia hoc modo curato. Quicunque verò fœtus viui manum aut crus foràs præmittunt, aut etiam ambo, eas oportet quàm celerrimè, vbi exitum ſignificauerint, prædicto modo intrò retrudere, & in caput vertere, & ad viam reducere: & quicunque fœtus complicantur ad lateris mollitudinem, aut coxam in partu collapſi, eos dirigere oportet ac vertere, & in aquam calidam deſidere facere, donec mulier refocilletur. Mortuos quoque eadem ratione iubet Hipp. ibidem retrudere ac vertere. quod ſi fieri haud potuerit, ob rei ipſius difficultatem, & pertinaciſſimum corporis adhæſum, de diſſecando corpore membratim deliberat ingenuè. Hæc prudenter volui ad hunc locum adduxiſſe, doctiſſimorum virorum auctoritate cõprobata: vti hac in parte, diligenter admodum

monuiſſe videar, tum medicos ipſos quorum intereſt maximè obſtetricum imperitiam, quantum datur aperire, & eas aut diſciplina corrigere, aut duris verbis increpare, tum verò vt imperitam multitudinem, quæ circa ea quæ de partus ratione extant ſcitu neceſſaria, toto (quod aiunt) cœlo deerraſſe mihi nimium videtur, ex officio meo commonefacerē, ne poſthac obſtetricatus munus cuiuis indoctæ fœminæ cōmitti permittant. Porrò cunctis perſuaſum eſſe conſpicio,& ceu lege quadam inuiolabili præſcriptum, impunè acturas eſſe vmbiliſecas, neque eſſe vllam in re parturiendi diſciplinam: ſed pecorum more, ſinendas vtcunque agere, ſiue proſperè, ſiue ſiniſtra ratione ſucceſſerit, eſto, illę nihil plus nouerint de ea re, quàm quæ nunquam, neque per ſomnium quidem, id muneris fuerunt expertæ. Quid obſecro, illæ didicerunt, quas maximè ſtrenuas prædicat vulgus? nihil ſanè amplius, quàm quòd parturibundas in operatione ipſa torpeſcentes exhortantur ad laborem, quæ maturius ac debent, ſedent, ceu ante tempus id fecerint remorantur: ac cùm res ipſa ad optatum portum properare videtur, bolo quodam ex multis linteis concinnato, os ani prementes, quodam modo ſuſtinere conantur parturientem, & conatus edentem expulſorios. At verò ſi aquoſitates promanaſſe contigerit, multo ante tempore, quàm fœtus propius appropinquarit, aut arctior ſit locus magnitudine fœtus capienda, aut in pedes declinarit, aut obliquus decubuerit, aut mortuus omninò fuerit, aut demū præ grauiſſimo aliquo morbo ad exitū nimium fuerit inhabilis: profectò nihil amplius moliuntur efficere, ac ſtupidiſſimæ quæque aliæ fœminæ, & quæ nihil de ea re vnquam experimenti effecerunt. Cùm vt oſtenſum eſt iam, & nunc claſſicorum auctorum ſententia ſtabilietur denuò, reſiccatos veteros madefacere ſit neceſſum decoctis iuſculiſve pinguibus, idq; ſiue foris, ſiue intus adhibitis remediis, anguſtos verò ſinus ampliores reddere mediocri ſectione, minus fœlici ratione ad exitū prorūpentes, dirigere ac dexterrimè conuertere, quemadmodum nuper docebat Hipp. mortuos etiam ſimiliter

militer verſare,ac niſi pro votis paruerint,reſecandos eſſe gladio,ſicuti debiles natura aut adſcititio morbo corroborandos monſtrat,per ea quæ tũ intrò ſumpta matris reſtituunt vires, & per exterius admouenda præſidia. Quod quidem an debeant apprimè noſſe obſtetrices,docuit Galenus met decimo quinto De vſu partium : vbi ex inſtituto commonſtrans pluribus admirabilem naturæ prouidentiam in generatione humiditatum ſudorificarum & vrinariarum,quibus fœtus inuolucra madere inſtituit, hanc nexuit ratione poſtremò. Comprobant autẽ quod dicimus,nõ minimũ ipſæ obſtetrices, quæ cùm repẽtè ac ſimul humores illos effluxiſſe præcocius nouerunt, ipſæ naturã imitatæ,humores quoſdam habent, quibus collum matricum perfundũt. Quàm multa in obſtetricibus flagitauerit Plato philoſophorũ reconditiſſimus, palàm faciet Theętetus,ſiue De ſcibili libellus;cuius ſeriem & diffuſam ſatis orationem hoc loco libenter ad verbum repeterẽ, niſi ex induſtria prolixitatem exoſus, ſiluiſſe dec reuiſſem potius. Id ſaltem conſtabit philopono,& quem non piguerit in Platone aliquot horas ſtudiosè conſumpſiſſe,vmbiliſecas ſcilicet,non ſolùm debere optimè ſcire qua ratione vmbilicus reſcindendus ſit, ſed & primùm eas oportere partus eſſe valde expertas : ſteriles etenim Diana hoc munere abdicabat, veluti parum ad id munus exequendum idoneas. ſcitè prætereà noſſe volebat, quæ ſint grauidæ, & quæ non ; & quomodo partus vexationes emulcere remediis & incantationibus conueniat, ægrè parturientibus opitulari, fœtus educere : ac ſi intempeſtiuè moueantur, obtundere impetum, atque retrudere violenter. Quin &,adeò magnam in obſtetrice deſideraſſe diſciplinam viſus eſt,vt eas ſolas pronubas,& in conficiendis cõiugiis aptiſſimas liquidò pronunciaret: perinde ac ſolis illis innoteſcat prorſus,quas coniugare deceat,& quibus viris,ad generoſæ prolis certã procreationẽ. Iam verò peripateticæ ſcholæ princeps, de vmbiliſecarũ officio, hæc ſcripſit doctiſſimè, Lib. 7. hiſt. cap. 10.

μαίας ἡ ὀμφαλοτομία μέρος ἐστὶ σὺν ἀσφαλείᾳ διανοίας, οὐ γὰρ μόνον περὶ τὰς δυσκολίας τῶν γυναικῶν τῇ εὐχερείᾳ δύνασθαι δεῖ βοηθεῖν, ἀλλὰ καὶ πρὸς

πρὸς τὰ συμβαίνοντα ἀγχινοῦν εἶναι, καὶ περὶ τὴν τοῦ ὀμφαλοῦ ἀπόδεσιν τοῖς παιδίοις. hoc eſt, & vmbilici ſectio obſtetricum, pars eſt intellectus haudquaquam imperiti; nō enim ſolùm eas oportet poſſe opitulari dexterè partubus difficilibus mulierum: ſed et erga contingentia eſſe ſolertes, ac vmbilici puerorum colligationem. Aëtius vir ſanè ſtudioſiſſimus rei medicinalis, & qui viſus eſt nullo negocio, quidquid ſparſim ſcriptum eſt, compendio collegiſſe, in eo capite, quod de difficili partu edidit, partum naturalem in caput fieri conſenſit, cæteros valde improbat, tametſi minus ſuſpectum eſſe crediderit, eum qui in pedes voluitur; quibus omnibus mirificè docuit auxiliari, peculiaribus exemplis & delictis in medium propoſitis: nimirum eas quæ præ anguſtia vteri difficulter pariunt, balneis, inſeſſionibus, vnctionibus; quæ videlicet, laxent amplioresque efficiant vias, tramitesq; muliebres. quæ verò ob imbecillitatem deficiunt, rebus adſtringentibus, roburque inducentibus, odoramentis, & reliquis id genus, quæ facilè peritus excogitabit medicus: quæ ob pinguedinē, aut lumborum cauitatem, pronas iubet iacêre, ac flexis genubus, more quadrupedum, vt Auicenna ſignificauit: quæ vix pariunt, ob morbum aliquem, cuiuſmodi inflammatio eſt, abſceſſus, vlcus, tumórve, illis ſuccurrendum eſſe cenſuit, pro cuiuſque natura: ſi ob vitium aliquod natiuum, nempe propter carnem, aut membranam anteſtantem, reſecare illa docet; ſimiliter, & ſi inuolucra fœtus validiora ſint, quàm vt ab ipſo diſrumpantur: ſi verò difficilis ſit partus, ob peruerſam naſcendi figurationem, ad naturalem ſitum reducere ipſum iubet, promiſſam partem dirigendo per digitos humero aut coxę admotos: ita demū fieri omnia voluit, vt placidè, leniter, ac citra compreſſionē fiāt, oleo locis muliebribus aſſiduè perfuſo. Taceo reliqua, ne videar alienas plumas veſtiri ſolùm, id cupio nimis cunctis fiat illuſtriſſimum, tam medicis ipſis, quàm reliquis, ad quos attinet de R. P. diſpenſanda curam geſſiſſe citra vllā calumniam: intereſſe maximè, vt eiuſmodi mulieres, quas cernimus abſque vllo delectu, munus obſtetricatus

tricatus licenter atque impunè paſſim obire, aliquorum virorum in arte medicinali peritiſſimorum, iudicio examinari, probariq́ue, ne tam impunè liceat illis id facere, cumq́ue tot miſerrimarum puerperarum diſpendio: fiet porrò eiuſmodi ratione, & cenſura, vt diligentius id muneris exercere condiſcant. Quòd ſi ſemel aliqua de cauſa reprobentur, quemadmodum expedit fieri pluries, quando vnius aut alterius exemplo, reliquas hortari ſtudemus; illæ quidem noſcentes, reprobationis cauſas, eas conabuntur deinceps contentiosè admodum amoliri, iterum atque iterum peritiores cõſulentes. Fortaſſeq́ue (vt reor) inopia conſiliorum inſtigatæ, dabunt operam, diligentiſſimeq́ue omnem lapidẽ mouebunt, vt medicinalis artis ſtudioſus aliquis, documenta tradiderit ad eam rem oppidò quàm neceſſaria: & qui ſuis viribus inſudet, de remediis acquirendis, de noſcendis vitiis ſeu cauſis difficilium partuum, breuiſſima componere compendia, quæ meo iudicio, ſi quid aliud, in R. P. extant maximè neceſſaria. Sed reuertamur vnde ſumus digreſſi. Commodè quoque vertitur puer inſtanti iam partu, quando ad os vteri accedit, ſentiturq́ue deſcendiſſe deorſum: imò verò prægnantibus mulieribus pleriſque ſtomachus vteri propior fit ante partum, occipiuntq́ue dolores vexare confertim fœmora, lumbos, ventremq́ue ipſum. Sed neque prius in ſella pariendo idonea locanda eſt vtero gerens, quàm vteri oſculo hianti, digitis occurrerit ac prominuerit, id quod rumpi ſolet: & humiditatum effluxus comparuerit. Sed et ſi Gal. credas, os vteri perpetuò contortum exiſtit, niſi cùm aut concipit aut parit: quare quo tempore ſedere feſtinat grauida, id quoque eſſet operæpretium animaduertere. Vnde ſi iam hianti ore vteri, humiditatum effluxus appareat, vnà cum occurſu fœtus ipſius, iam iam inſtare partus creditur: dandaq; eſt opera, vt conuenienti ſede recipiatur mulier, quæ vtero gerit, haudquaquam anteà. Quæ enim maturius ſedent, defatigatæ temerè ac plus æquo, quo tempore laborandum erat illis egregiè, deficiunt omnino, ac viribus penitus exhauſtis, non

Libr. De ſuperfœt.

7. hiſt. cap. 9. Aetius De difficili part.

14. De vſu part. 3. facult. nat.

non ſufficiũt nouis laboribus ſubeũdis atque conatibus; quo nihil periculoſius eo tẽpore poſſet accidere. His ita ſe habentibus, ſuccedet partus in quibuſdam facilius, in aliis verò ægrius, pro varia mulierum ſcilicet ſorte: nam quæ ocioſam vitam egerunt, & propemodum ſedentariam, ęgrius pariunt, quàm exercitatę: eaque de cauſa Marchionis dicti de Villena vxorẽ & illuſtriſſimã genere, & moribus ornatiſſimã, quæ bis térve aborſum fuerat perpeſſa, monui aſſeueranter, vt nulla ratione vmbratilem vitam adeò ſeligeret degendam, quantũ anteà vixiſſet, ſed ad exercitia verteretur ante nuptias cõſueta, ſed moderatius. [Donec à puero & ſecundis liberentur,] A puero liberantur, cùm natus eſt iam, & foràs prodiuit ſecundum omnes eius particulas: ſed cùm valeant adhuc velamenta fœtus intus manere, vtpote quæ toto tempore geſtationis vtero hæſerunt vnita, quemadmodum diximus, noua opera opus eſt vt exeant, & vt ab hoc ſecundo diſcrimine ſimiliter puerperæ tutæ permaneant. Non enim protinus fit vt cum puero ſimul exeant, tametſi calcitratu ruptæ fuerint, ob traditam modò reſponſionem; ideoque ſi non prodierint, ſed foràs pulſo fœtu, interius relicta credantur, ſatagendum eſt, vt expellantur protinus. Iuxta illud quinti Aphor. trigeſimo quinto, vt ſecundæ excidant, ſternutamentis agendũ. Sed meliori multò pro φυλαττία, ſeu prouidentia nos vſos eſſe cenſebimus, ſi ſedulò procurauerimus, quomodo ſine inuolucris fœtus neutiquam emerſerit: quod vt fiat commodè, non ſunt ab vmbilico ſecanda, intereà dum intus perſeuerant, ſed potius conandum eſt, quemadmodũ perpetua ſint, & fœtui maneant cõiuncta. Quod minus apertè voluit Ariſt. loco eodem, inquiens, ἐὰν δὲ μὴ συμπεξέλθῃ εὐθὺς τὸ ὕστερον, ἔσω ὄντος αὐτῆς, τῷ παιδίῳ δὲ ἔξω, ἀποτέμνεσθαι ἀποδεθέντος τῆς ὀμφάλου. hoc eſt, cùm autẽ inuolucra nõ fuerint ſimul egreſſa, ſed intus permanſerint, puero foris exiſtenti, ligato vmbilico reſecanda ſunt. Contrarium decreuit Hipp. lib. De ſuperfœtatione, dum ita inquit: Cæterùm ſi ſecundinæ haud facile exciderint, ſinendæ ſunt maximè ad fœtum appendêre: ſic Grec. τὸ δὲ-

7. hiſt. cap. 9.

Cap. 10.

τὸ δὲ χώρειον ἦν μὴ ῥηιδίως ἐκπίπτῃ, μάλιστα μὲν ἐᾶν πρὸς τὸ ἔμβρυον προτρεμᾶσθαι: curandum est potius, vt absque violentia vlla trahantur paulatim, tum aliis modis, tum maximè, si in sella ventri exonerando destinata sedere iubeatur, quo pendens fœtus, grauitate sua secundas secum afferat. Atque vt hoc fiat sensim, vtrem subiici liquore parum calido plenum imperat, super quem fœtum locat: deinceps verò punctus vter mucrone tenuissimo, cunctanter admodum concidit in seipsum, ac vnà fœtum, & quæ ab eo pendebant inuolucra, deorsum trahit. Hanc autem esse sententiam Hipp. lib. De morbis muliebribus, demonstratur hisce verbis: Si mulieri secundæ relictæ fuerint, hoc fit, aut per vim rupto vmbilico, aut per imperitiam ab obstetrice resecto, quæ prius incidit vmbilicum, quàm secundæ ex vteris exierint. Haudquaquam igitur arbitratur expedire, vt vmbilicus dissecetur à secundis, antequam illæ prodierint: quin potius, vtcunque factam dissectionẽ, potissimam censuit causam permansionis secundarum in vtero, quando puer positus est iam extrà. Cæterũ ex Arist. oratione perspicuum est, ὕστερον, secundas interdum significare, apud primæ classis etiam auctores, interdum verò vterum ipsum: quod vel Galenus ipse cõprobauit 5. Aphor. 35. & 39. in quorum altero, ὑστέρου ἐπίπωσις παρμικὸν ὀπισθεῖς ὑπολαμβάνῃ τοὺς μηκτῆρας καὶ τὸ στόμα. id est, casum secundarũ appositio facit sternutatorij, simul & apprehensio narium & oris. Sed tunc per tertiam inflexionem Græcorum inflectitur ὕστερον, veluti λόγος: quando verò vterum portendit, ὑστέρα, per primam declinationem, cuius genitiuus pluralis, ὑστερῶν, circumflexa prosodia. Sed quoniam de commoda versione fœtus hucusque disceptatum est, operepretium futurum esse iudicarem, si de situ ipsius in vtero matris, quid senserint fide digniſſimi scriptores, breuissimè nonnulla perstringerem: eò maximè, quòd vix reperias auctorem vnum aut alterum, qui in eandem sententiam descenderit maiorũ. Ego sanè varium reor esse situm, ac nunc hunc, nunc illum, diuersis fuisse deprehensum: propterea quę in varias peruenisse de situ opinio-

sive infam

nes, minimè miror, vnoquoque ſcriptorum, quæ vidit ſolùm conteſtanti. Quidam porrò fœtum flexum eſſe ad crura voluerunt, dorſo ad matris vmbilicum verſo: caputque inter duo genua inſedere. Alij verò rurſum, caput vmbilicum matris ſpectare exiſtimant, conſequenterque ſpinam ſpinæ eſſe contiguam circiter. Sed Hippocratis decretum eiuſmodi extat ſcriptum, lib. De natura pueri. Cæterùm puer in vteris exiſtēs, manus ad genas habet; caput autem propè pedes: & non datur probè de certo cognoſcere, etiamſi in vtero videas, vtrum caput ſurſum habeat, an deorſum.

CAP. X.

*QVæcunque verò mulieres plures pueros peperērunt, & aliqua ex parte claudi prodierunt, aut cæci, aut quidpiam aliud malè habentes, aiunt in huiuſmodi puero octauum menſem difficilius tranſegiſſe, quàm quando pepererant, eos qui nihil prauum haberent: embryon etenim * mancus in octauo menſe vehementer ægrotauit, ita vt abſceſſum morbus effecerit, quemadmodum in morbis validis virorum contingit. At verò quicunque embryones in alio tempore vehementer languerint ægrotauerintve, prius pereunt quàm abſceſſum patiantur. Quin & quicunque embryonum octimeſtrium haud vehementer infirmantur, verùm aliqua in parte *obiter afflictionem pertulerunt, quadraginta quidem dies in languore tranſigunt vt plurimum in vtero, propter præfatas neceſsitates; ſani verò euadunt.*

πεπωδὲν.

ἐν τῷ μεσὶ-ῳ.

COMMENTARIVS.

CORROBORAT octimeſtres non eſſe vitales firmioribus adhuc fundamētis, quæ ab expertiſſimis mulieribus petebat diligen-

diligentiſſimè: quod quidē maxima ex parte intelligendū eſſe diximus, aut in ea regione quam familiariſſimā colebat Hip. ob cauſas à me memoratas anteà. Neque mirū videri debere, id quod de octaui menſis infortunio prædicatur, videtur inſinuaſſe palàm: quando cuncta quę grauidis obtingūt eo menſe, infauſta penè ſunt omnia, & calamitatibus pleniſſima. Nēpe ſi claudus, aut cæcus, aut aliud vitium gerens fœtus, in lucem exiuerit; mox conſultæ puerperæ reſpondent in octauo menſe ſeipſas ſenſiſſe grauiores ac ægriùs habentes, quàm dū ſanos pariebāt filios: ampliſſimū ſanè teſtimonium, quo docetur quantum virium menſis ille obtinuerit, in nocēdo grauidis ac fœtubus, infœliciſſimumq; eſſe cæleſtē influxum, qui progeniem eo tempore proſpectat. Sed rogaueris vndenam fit, vt claudus aut cæcus, aut aliqua alia valetudine notatus fœtus, naſcatur, & quanam de cauſa fieri poſſit, vt morbo infectus eſſe queat quiſpiā in vtero, quandoquidē quidquid aut temperamēti, aut prauæ compoſitionis, corporibus acciderit intra vterum commorātibus, illud ſoleant ſanitatē appellare, Galenicæ artis expoſitores. Subinde ſi intra vterū ipſum conſiſtere poſſunt cauſæ vitiantes, cur puerperæ cauſantur protinus octaui menſis infortunium, ſeu tantorū malorum genitorem? Non dubium quin ab externis cauſis eiuſmodi mutilationes procedant nonnunquā: quæ cùm variis in temporibus adoriri nos valeant, prout caſus aut fortuna eas obtulerit, non ſolùm octauo menſe, verùm & in quouis alio, illas poterunt producere. Idq; fortaſſe intuitus Ariſt. Probl. decimo, probl. 40. ob id in vtero lædi magis homines putauit, quòd tenerioribus cruribus prædīti ſint. Hipp. etiam lib. De genitura, ad calcē, haudquaquā diffitetur fœtū lædi poſſe, quandiu in vtero conſtituitur, dū fieri poſſe credit, vt à plaga, ſeu vulnere inflicto, tum mater, tum etiam puer oblædatur: imò verò interdum obuenire teſtatur experientia conuictus, vt à parentibus mutilis mutilus gignatur filius, trāſducto languido ſemine ex ea parte. De vitio igitur, quod cauſarū externarum culpa fœtus contraxit, nequaquam locutus eſt Hipp. in hoc commen-

Dubitatio.

tario, neque mulieres octauo menſi tribuentes, quidquid ſiniſtri contigiſſet: ſed de hiſce malis quæ ab internis cauſis proficiſcuntur ac fiunt, ſed neq; de his omnibus cuiuſmodi ſunt anguſtia loci, στενοχωρίαν Græci dicunt; cuius cauſa efficitur, vt ſicuti plantæ non habẽtes ſatis amplum locũ, neque peruium germinationi, ſed potius aut lapide, aut alia impeditæ, obliquæ, aut tortuoſæ, craſſæ tenuesq; vix emergunt; ſic quoque in pueris accidit præterorum anguſtia. Præter hanc cauſam quam eodem loco memorauit, nunc additur alia morbifica: quò conſtet liquidò, ante natiuitatem pueros ægrotare, ſicut conceſſum eſt cunctis, eos poſſe obire intra vterũ mortẽ, quod quidem haud paruã parturientibus & obſtetricibus ſolet inferre operoſamque moleſtiam. Dixerat quoque lib. De nat. pueri, nonnunquam accidere, vt ante prę finitũ tempus ruptis pelliculis ob aliquam violentiam, pueri naſcantur: perinde ac morbis, & aliis vndecunque illatis noxis, corripi poſſint. Lib. De octimeſt. part. ſic concluſit: Quare multi iam pueri principiũ morbi intus nacti prodiere, & cõſequenter alij perierũt, alij morboſi vixerunt; illudq; quorundã probat exemplo, qui œdemate affecti, foràs, in hancq; lucem prodierũt. Quoniam igitur perſpicuum eſt ante natiuitatẽ morbũ experiri pueros, ſi fortè contigerit eos abſceſſum pati aliquem mẽſe octauo, in oculo ſcilicet, aut in cruribus, abſque dubitatione mutili fient ea cauſa aliquãdo: eo modo quo in viris grãdioriſq; ætatis hominibus aſſiduè datur, qui ophthalmia, aut humorũ epifora laborantes, cæci manent, & abſceſſu in dorſo facto, gibbi euacunt, etſi in cruribus, obortus fuerit, vitiata plerunq; iũctura, aut tendone, claudi permanere ſolent. Sic itaq; reſpõdetur ad ea quæ nobis ſcrupulũ induxerãt, & negociũ faceſſebant nobis haud contẽnendũ: ſed cur in octauũ referatur culpa menſem potius, id ſupereſt exponendũ. Si à cauſis pẽdeat vitiũ exteris, nõ eſt quod magis in octauũ, quàm ad alios menſes regerẽda cauſa ſit: cùm illæ nullo nõ tẽpore ſeſe offerre poſſint, & humanis obuiã occurſare corporibus. Si verò à cauſis interioribus, antiquã ſentio eſſe quęſtionẽ, & quã ex parte perſoluimus

mus principiò, dicẽtes nõ alia de cauſa id fieri poſſe, quàm qua fructus immaturos diceremus ante vernũ tẽpus, & nonnunquá eos videmus vel in vere ipſo nondũ maturuiſſe: propterea quòd, aut aquæ ſufficienti fluxione neutiquá maduerunt, aut eſto, ſatis fuiſſent irrigati, ſolis fométo caruerunt opportuno, quibus duobus plátarũ res vniuerſa nutritur, augeſcit indies, & ad ſummũ perfectionis faſtigiũ perducitur ſuo tẽpore. Variatur equidẽ rerũ maturatio, pro conſtitutione temporũ, pro regionũ tẽperamento vario, pro corporũ ipſorũ diuerſa valde natura: idcircoque qui in Coo inſula vitales nequibant naſci octimeſtres, apud Indos Aegyptióſve calidiores multò plagas, viuere cõmodè poterãt. Quòd ſi mihi obieceris, ſeptimeſtres vitales eſſe, breuiori tẽpore matureſcentes quàm octimeſtres: Reſpondetur; paucos ex multis ſupereſſe tales, vt principio dixerat Hipp. tam breui ſiquidem tẽpore, fructus humani nequeunt maturari, ſicut neque octimeſtres: & ſicut præcoces fructus gignuntur, temporũ cõſtitutione properanti ſolito citius, eadẽ ratione ſeptimeſtres eueniunt, ſicut & quinquemeſtres, de quibus mentionẽ dudum fecimus. Sed ad inſtitutum reuertamur. Quicunque verò embryones, in aliis temporibus infirmãtur, citius pereunt quàm abſceſſum patiantur, hoc eſt, per ſex primos geſtationis vteri: in quibus ſanè debilior eſt fœtus, quàm qui valeat tantum perpeti morbum, quantus eſt abſceſſus. Præcipuè, ſi adeò ſit magnus, vt claudum, aut cæcũ, aut alia ratione mutilũ potẽs ſit reddere. Quicunque autem octimeſtres, leui morbo fuerunt correpti intra vterum maternum, tametſi per totũ quadragenariũ afflictionẽ pertulerint, poterunt tamen ſani tandem euadere, in nonum decimúmve menſem ſeruati: quod quidem qua de cauſa addendũ eſſe cu rauerim, declarabit ipſe ſequẽti oratione. Oratio illa, ὅτι δὲ μεθόδου, verſa eſt nobis, (obiter ſeu perfunctoriè) ita vt leues morbos eiuſmodi expoſitione comprehẽderemus: μεθοδεύω nanque, pertranſeo ſignificat, vnde μέθοδος, hoc loco dicta putatur. Quem enim ſenſum faciat, [ex ſeceſſu afflictionem perferre] vt Cornarius interpretatur, ego ſanè non video.

CAP. XI.

QVòd ſi in eiuſmodi quadraginta diebus natus ſit, impoßibile eſt eum euadere: propterea quòd ipſi, in vtero adhuc ægrotanti, tranſmutationes & afflictiones poſt partum ſuperueniant. Quòd ſi in vtero morbum perpeſſus, in nonum vſque menſem peruenerit, in quo natus ſit, ſaluus erit: ſuperſunt quidem non minus quàm ſeptimeſtres, verùm pauci ex his educantur bene alti, neque enim craßitudinem habent quam perfectißimi ſolent obtinere, neque labores vterinos diu anteà tolerauerant, ob quod tenues exiſtunt. Seruari autem poteſt maximè, ſi in noni menſis fine natus ſit, fortiorque fieri poterit, plurimum à morbis diſtans, qui in octimeſtribus contingunt.

COMMENTARIVS.

VT libello De octimeſtri partu latiſſimè monſtrauit Hipp. impoſſibile eſt octimeſtrem viuere; rationem annexuit hanc potiſſimam, quoniam fieri nequit, vt duas afflictiones, alterã poſt alteram puer ferre poſſit, quin ſuccumbat. Patitur autem vtero geſtus ęrumnas, quas per ſextum quadragenarium infeſtare grauidas dixit, & ipſarummet teſtimoniis comprobauit egregiè: ſuccedunt aliæ in ipſo partus tempore, vt eſt ipſa fœtus commoda verſio, ſiue in caput, ſiue in aliam figuram commutetur, & peregrinæ aliæ, quas ab aëre, victus noua ſpecie, & veſtimentis inſolitis mutuatur improuidus. Ob quas omnes difficillimum eſt, imò verò impoſsibile penitus, eos qui octauo menſe naſcuntur, ſuperſtites euadere. Quòd ſi periculũ iſtiuſmodi præ virium robore ſemel aufugerit, in nonumque menſem commigrare potuerit, ſoſpes naſcetur nihilominus ac ſeptimeſtris: quãquam perpetuò præ ſe ferat, qui ſic poſt tot labores in hanc lucem editur puer, tantorum laborum

laborum aliquot vestigia. Nunquam siquidem tales probè educantur ac nutriuntur, sed graciles semper persistunt: eò quòd debilitatem nonnullam in eis periclitationibus sibi vẽdicauerint, à qua aut nunquã, aut vix se in totum expediunt. Decimestres præcipuè voluit ἐντρέφεσθαι, hoc est, alimento functos, habitum quadratum, & mediocri corpulentia præditum, recipere posse: neutiquam verò eos, qui octauo mense nimium afflicti, deuictis naufragiis, ad portũ (quod aiunt) salutis potuerunt confugere, tametsi effractis corporis viribus per tot pericula rerum, id effecerint. Sed ex his non omnes sospites enatabunt; verùm qui intereà temporis, recuperarint nonnihil virium, indies refecto paulatim corpore: quod multò commodius exequentur illi, qui ad finem mensis noni, ac multò æquius, si ad decimum mensem attigerint. nam cùm plurimum distent ab octimestribus laboribus, efficient proculdubiò paulatim, vt quam debilitatem in illa temporum iniqua conditione sibi comparauerant, salubriter nimium depellant, restaurantes bene corpus, quantum pro illo temporis spacio conceditur.

CAP. XII.

QVi enim in septem quadragenariis pariuntur decimestres appellati, ob id maximè probè aluntur ac augescunt, quòd robustißimi sunt, ac plurimum à vulgarium puerorum absunt tempore, in quo quadraginta dies insalubres perpeßi sunt, circa mensem octauum. Manifestant autem de morbis & paßionibus in octimestribus contingentibus, & nonimestres partus: qui graciles eduntur, pro temporis multitudine corporis magnitudinem educentes, progreßi quidem post afflictionem morbificam, neutiquam velut septimestres carnosi, similiter & craßitudinem probè alta gerentes, vt qui tempore gestationis salubres vixerunt.

COM-

COMMENTARIVS.

VTI paucis anteà lineis aſſerui, decimeſtres maximè omnium mediocriter alti foràs in publicum hoc theatrum produci conſueuerunt: ſi quam etenim noxam detrimentúmve per ſextum illud quadragenarium ſunt experti, illo temporis ſpacio ſatis amplo, quod ab eo tempore ad decimum vſque menſem protenditur, eam à ſeipſis valebunt funditus excutere, ſimiliter & procul abigere. Quod equidem haud ita bene nonimeſtres præſtabunt; vtpote qui breuiori multo interuallo, ab illis laboribus ſeu periculis octimeſtribus diſceſſerint. Iam verò quantum poſſit fœtibus officere octaui menſis morboſus incurſus, palàm detegunt, qui nono menſe pariuntur: ij nanque graciles effecti, & parum omninò corporati exeunt, reſipientes adhuc eam ſanè afflictionem quam per id temporis paſſi fuerunt, nimirum cùm ab eo non longè admodum ſeparentur. Cæterùm id quod nunc dictum eſt, comparatè ſubaudiatur neceſſe eſt, & ſeptimeſtrium fœtuũ comparatione: propterea quòd ij abſque vllius morbi inſultatione, ſeu inquinamento, vtero geſtati, corpulentiam qualemcunque, & corporis habitum vegetiorem ſecum educãt. Itaque ſi quis rectè calluiſſe cupiat, quæ hîc ab Hipp. ſcribuntur, minimè decet eum ad hunc locum adduxiſſe, ſeptimeſtres, octimeſtres, nonimeſtres, decimeſtresque partus omnes, interque eos inita comparatione affirmare, corpulentiores ſimpliciter edi, qui ſeptimo naſcuntur menſe, demptis decimeſtribus, quos apertè dixit potiſſimum educari, & bonam carnis molem acquirere: quippe, ſi nihil intra geſtationis cõſtitutum tempus obuenerit ſiniſtri, vti 2. Epid. part. 3. comment. 35. pronunciatum eſt, vitales ſunt omnes, ac præcipuè qui pluribus menſibus exitum ſunt cunctati, necnon & tempore debito, citra vllam actionis interturbationem, integritatem ſuam, optatiſſimumq; naturæ complementum, indipiſci potuerunt. Quòd ſi aliqua de cauſa eiuſmodi fœtus per octauum tranſeuntes menſem, periculum ſubire aborſus ſeu corruptio.

corruptionis euenerit; qui ex his decimum valuerint cunctáter ſpectare, robuſtiſſimi ſaniſſimiſque cenſentur, viſique ſunt quadamtenus expuiſſe procul, ab octaui menſis quadragenario, illatas labeculas. At verò nonimeſtres, qui ne vix quidem præ temporis anguſtiſſimo interuallo, ictum táxve(vt Plautino more loquar) in tergore inflictum excuſſerunt, neceſſum eſt non tam egregiè refecti prodierint, ſed veluti refracti recenti bello, receptui canant. Contraria de cauſa ſeptimeſtres, ſi cum his poſtremis conferantur, corpulentiores generabuntur, ac multò melius connutriti: quanquam enim æquabili tempore in vtero conſtiterint, ſed breuiori quàm illi; nihil tamen malorum experti, ſanitatem ſalubrioremque corporis habitum demonſtrant iure ſuo. Creduntur ſiquidem ſeptimo menſe primum vehementiori concuſſione exitum affectaſſe: qui ſi membraneas pelliculas, quibus conuoluti eatenus extiterunt, abruperint, luce concupita fruuntur, tametſi (vt anteà dixit) ex multis pauci vitales euadant.

CAP. XIII.

VErùm enimuerò conceptus, aborſus, necnon & partus eodem tempore contingunt, in quo & morbi, ſanitates, mortesque cunctis hominibus iudicantur. Hæc verò omnia partim quidem ſecundum dies, partim ſecundum menſes, partim ſecundum quadragenarios, partim per annos ſignificationem faciunt: in omnibus porrò iſtiuſmodi temporibus, inſunt vnicuique vtilia multa, multa quoque aduerſa. Ex claſſe verò vtilium ſanitas exiſtit, augmentaque: ex contrariis autem, morbi pariter ac mortes.

COMMENTARIVS.

DE fide dierum criticorum alibi ſcriptum eſt abundè à nobis in eis ſcilicet commentariis, quos nullo non momento

præſtolamur Lugduno aſportandos; ſed Galenus lib. De diebus criticis ad ſaturitatem vſque eorum dignitatem ſummis laudibus euexit, & certiſſimis teſtimoniis comprobaſſe meritò cuique videbitur. Quapropter qui haudquaquam eſt neſcius medicinalium traditionum, atque earum quæ à multis interpretibus ſuis locis afferuntur demonſtrationum; minimè hoc loco egebit, vt nunc repetenda ſit illorum hiſtoria, atque facultas comprobanda. Verùm conſentaneum eſt magis, vt ab his quæ illis locis ſunt inculcata perſuaſaque nimis multùm; fundamenta capiat ad fulciendum quidquid in præſenti alluſiſſe perſtrinxiſſeque, breuitatis alioqui amantiſſimus Hipp. viſus eſt. Enucleanda tamen eſt eius mens à nobis curſim, aperiendumq; eſt ſedulò, quid ille nobis cõmodi ſcriptũ reliquerit: quod in ſequentibus commentariis præſtabimus: ſi prius illud in medium propoſuerimus, quod Ariſtotelicis dogmatibus extat maximè conſentaneum: ſcilicet, γονὴ, σπέρμα, σύλληψις, ἔκρυσις, ξωσμὸς, ἔμβρυον, inter ſeſe, dicenda iam ratione ſeparari. Quoniam γονὴ, hoc eſt, genitura, teſte Ariſt. id eſt, quod à generante proueniens cauſa eſt, quæ prima obtineat principium generationis, vt in his quæ coire nata ſunt animalibus: Hipp. verò auctore, ſemen eſt alterutrum, ſiue à mare in fœminam eiaculatum, ſiue ab ipſa in vterum proprium pulſum coitus tempore, idemque eſſe σπέρμα dicerem illo ſemper auctore: nam apud Ariſt. eo nomine ſignificatur, quod ex ambobus coeuntibus originem trahit: quale ſemen plantarum omnium eſt, & animalium nonnullorum, in quibus ſexus diſtinctus non eſt. Sic enim Græc. λέγω δὲ σπέρμα τὸ σπερῶν μῖγμα καὶ θήλεος καὶ ἄρρενος. Et alibi, κύημα vocat, quare ſyllepſim ſemen vocat. ξωσμὸς dicitur aborſus, qui poſt ſeptem dies accidit: & qui intra ſeptem dies corrumpitur, ἔκρυσις ſeu effluxus. Embryon dicitur fœtus ipſe, per vlteriores dies ab ipſa conceptione. Sed quòd multa tum fœlicia, tum malè fortunata, nobis contingant in eiſdem numero diebus, menſibus, quadragenariis, & annis; tam eſt apertum medicinæ ſtudioſiſſimis, vt nemo ſit qui id audeat diffiteri: in ea re conſen-

8. De genit. cap. 18. & 20.

3. Prog. 1.

conſentientibus cunctis, ſeptenariorum, quaternionumq; ad quatuordecimum vſque vigeſimumq; diem, maximam eſſe vim, poſt vigeſimum verò ſeptenariorum ad quadrageſimũ diem, poſt quem vicenorum, ita vt iam inde ſexageſimum, octoageſimum, centeſimum, contemplentur diem ſolùm; alios verò qui in medio ſunt, neutiquam expenderint. Deinde autem menſes, annos, in maiori habent pretio, & mutationes in eis factas ſcrutantur curioſius: quod exemplis plurimis mox illuſtrabitur, quæ ipſa experientia nobis ſuppeditat indies clariſſima, ſiue quæ mortalibus accidunt proficua ſpectauerimus, vti ſanitatem augmentúmve, dentitionem, atque alios corporis ornatus ſecundum naturam, ſiue quæ occurſant hoſtilia pariter ac infeſta, cuiuſmodi mors eſt, morboſiq; apparatus. De quibus omnibus ſeorſum in his quæ ſequuntur, dicetur.

CAP. XIIII.

Dies igitur maximè inſignes in plurimis, primi & ſeptimi exiſtunt, multum quidem potentes, & in morbis, & in embryonibus: nam aborſus multi in eiuſmodi diebus fiunt, ſed quæ talia ſunt nominantur effluxus, neutiquam aborſus. alij verò dies qui intra quadrageſimum conſtituuntur, inſignes quidem ſunt, ſed minus verum multi iudicant.

COMMENTARIVS.

HAVD dubiè confirmatum eſt ſatis apud medicorum optimos, dies per quaternionum ſeptenariorumque coniugium reſultãtes, plurimũ poſſe in iudicandis morbis: ea tamẽ lege, vt nonnunquã duo quaterniones ſeptimanam efficiant, nõnunquã etiam duæ ſeptimanę terdecim diebus cõcludantur. Quod manifeſtiſſimũ fiet, ſi primam ſeptimanam duobus quaternionibus conſtare certò tenueris, ſecundam & ter-

tiam ſeptimanam verò tredecim diebus: conſequenterque tres primas ſeptimanas viginti dies conficere. Ita ſanè ſcriptū eſt lib. De carnibus: Quin & morbi acutiſſimi hominibus fiunt præteritis diebus hebdomadis dimidiæ, aut vnius, in quibus iudicantur aut moriuntur, aut ſani euadunt: tertij generis, in vndecim diebus, hoc eſt, vnica ſeptimana & ſemiſſe: quarti, in duabus ſeptimanis: quinti verò, in decimoſeptimo die; ita enim legimus locum illum, qui decimo octauo apud Græcum codicem legendum eſſe innuebat. In Aphoriſmis hæc mandauit literis, ſeptenorum quartus eſt index, alterius ſeptimanæ octauus principium: eſt autem vndecimus contemplabilis, ipſe etenim alterius ſeptimanæ quartus exiſtit. Rurſum verò decimus ſeptimus eſt cõtemplabilis, ipſe ſiquidem quartus ſequitur à quatuordecimo, ſeptimus verò ab vndecimo. Alibi terminum ſtatuit quatuordecimum acutorum ſimpliciter morborum, inquiens: Acuti morbi in 14. diebus iudicantur: quanquam tertio Prognoſticorũ, vigeſimum quoque habere dicantur, vt cùm dicitur, ſi qua febris prorogatur, vigeſimumque præterierit diem, &c. ſubinde, qui præfatos terminos tranſigunt morbi, non amplius acuti, ſed aut ex decidentia tales nuncupantur, aut diuturni: in quibus ſanè iudicia obſcuriora fiunt, aut ſolutione vocata tandem difficiuntur. Idcirco de iis qui longiores ſunt morbis, haud magnoperè ſolicitus eſſe debet medicus in præſagiendo durationem: propterea quòd non habeant, vt certa ſcientia pronunciari poſſit, quanto tempore ab ipſis liberandi ſint laborantes. Quarta Aphor. trigeſimo ſexto, morbi diuturniores quadragenariis, non ſolent per excretiones iudicari admodum: verùm iam deinceps per abſceſſus ad partes potiſſimum imas, niſi paulatim terminentur, per paulatinam coctionem. Sed inter dies iudicatorios, primum locum ſibi vendicat ſeptimus loco & dignitate, auctore Galeno; licet Auicennę teſtimonio in quatuordecimum diem palma ſit corroganda: reſpicit etenim hic magis lunæ lumẽ plenius, quod vtique in plenilunio adparet, quodq; potentius multò

mouet

mouet influentes cauſas, quàm humorum impetum ſuopte ingenio properantium, qualis in ſeptimo cõcitatur, qualemq; Hipp. & Galen. hoc loco diligẽter conſiderauerũt. De primo die inſurgit ſcrupulus, quem de prima claſſe hoc loco recenſuit Hipp. cùm tamen nemo medicorum decretoriorum numero vnquam adſcripſerit: ideoque mea minerua, iunctim legendam eſſe arbitrarer orationem illam, αἱ μὲν οὖν ἡμέραι ὅτι σημάδεταί εἰσιν ἐν τοῖς πλείοσιν, αἵτε πρῶται ἢ ἑβδομαῖαι. hoc eſt, Dies itaque maximè inſignes ſunt in primis, primi ſeptenarij, qui ſunt primi & ſeptimi: dignitate ſcilicet & ordine, quemadmodum diximus. Sed quòd in embryonibus plurimum quoque poſſint, oſtenditur eò quòd effluxus Græcis ἐκρύσεις nuncupati, intra ſeptem dies contingunt; ac perinde ſi ſemen hos dies intus permanſerit, cõceptionis argumentũ habetur maximum. Item ſeptem dies vita humana ſeruari poteſt ſine vllo adminiculo victus; & quia eo tempore quidquid corporis habere debet, aſſequitur, & abſque eſu eiuſmodi dies tranſigit homo, quod pulchrè monſtrauit lib. De carnib. A quo Plinius mutuatus, ſeptimo die minimè lethalem cenſuit inediam. Vnde tametſi olim in publicis theatris docens, probabilem eſſe cenſuerim eam opinionem, quæ fœtum humanum rationali anima formatũ eſſe putat, quàm primum carnis ſpeciem induit, quod fieri ſeptem à conceptu diebus nunc dicebat Hipp. in eadem etiam perſtandum eſſe mihi paulò longæuiori effecto, iure videor iudicaſſe, tum propter plures demonſtrationes, quas in commentariis artis medicinalis ſumus diligenter exorſi, tum quia lib. De carnibus idipſum ex inſtituto probaſſe verſimilibus argumentis tetenderit bonorum omnium genitor ſeu potius inuentor Hipp. Vbi apertiſſimis teſtimoniis oſtendit, eiectas caruncu-las poſt ſeptimum à conceptione diem præ ſe ferre perſpicua omnia membra humani corporis: nempe oculorum regiones, aures, manus, manuum digitos, crura, pedes, & pedum digitos, reliquumque corpus manifeſtum. Quapropter ficta eſt illa vulgaribus carminibus nobis paſſim inculcata cantile-

na, quæ ſex diebus lactis ſpeciem conceptis ſeminibus ingenuè admodum elargitur, in aliis ſanguinis, poſt quos carnis formam induci, non anteà confitetur. Ariſt. etiam ſecundo lib. De gen. cap. 3. mentione habita de tribus animarum generibus, vegetatricis ſcilicet, ſenſualis, & mentis, hæc ſyllogiſmo viſus eſt poſt multa concludere. Animam igitur vegetabilem in ſeminibus, conceptibus ſcilicet non ſeparatis, haberi potentia ſtatuendum eſt, non actu, priuſquàm eo modo quo conceptus qui iam ſeparantur, cibum trahant, & officio eius animæ fungantur. Principio enim hæc omnia vitam ſtirpis viuere videntur, de anima ſenſuali pari modo dicendum eſt, atque etiã de intellectu: omnes enim poteſtate prius haberi, quàm actu neceſſe eſt. Qui ſi poteſtate animas poſuit, re vera eas in eiuſmodi conceptis ſeminibus deſignaſſe dicendus eſt: alioqui cur poteſtate inexiſtere ſunt dicẽdæ illæ magis, quàm quæcunq; aliæ formæ? præcipuè dũ in carnẽ facta eſt mutatio, quam intra ſeptem dies abſolui dicebat; anteà ſiquidem minimè credenda eſt ſeminalis materia eſſe præparata ad formã ſenſualem ſimiliter & rationalem recipiendã, quàm carneam ſuſceperit ſpeciem; & omni membrorũ diuerſitate delineatam imaginem, variiſque articulis circumſcriptam compaginem, quod intra ſeptem dies fieri docebat. Quæ ſi ita habent, neceſſum eſt mox illæ formæ omnes præſtò adſint, carnemq; forment: cùm illa corporis phyſica figuratio, nulli alij formæ dicata ſit, quàm rationali, tanquã poſtremo actui. Aut dones oportet, quodnam animal viſum vnquam fuerit, humanæ fabricæ adeò æmulum, vt organũ ipſum hominis omnino imitari videatur. Quòd ſi diſtinctas corporum organicas ſtructuras variæ ſequuntur formæ vltimæ, & illarũ diſtinctione, ipſæ ſunt à ſe inuicem diſtinguẽdæ, ex ea definitione, quæ actum eſſe corporis phyſici organici, animam finiuit: abſque vlla dubitatione in corpore hanc humanam ſtructuram adepto, neceſſum eſt adſit mox rationalis anima. Quoniam verò crebram reperias, apud auctores de maris & fœminæ articulatione formationéve, mentionem fieri: dicẽtes articulationem

2. De anima. 3.

nem coagmentationemque ſuſcipere mares triginta diebus plus minúſve, fœminã verò quadraginta duobus; illos ſentio fuiſſe locutos de perfecta illa formatione quæ conſpicuã ſatis membrorũ figurationem demonſtrat, atque nimium diſtinctam, neutiquam de rudi quadã alia, quæ obſcuriſſimis lineis ididem repræſentat, ac minus ad viuum, quod aiunt. Sanè quemadmodũ pictores prius materiã ſubiectam, adumbrata quadam imagine figurare contendunt, deinde verò eaſdem delineationes iterũ atque iterum polientes, nituntur multo ſtudio, ad perfectã effigiem perducere: haud ſecùs quæ nos ipſos plaſmare natura intendit, paulatim à leuioribus principiis exorſa, ad faſtigiũ vſque opus euehere ſagaciſſimè promouere videtur, ſubinde ſicut ſemẽ nõ trahit alimẽtũ, neq; operationibus vegetatricis animæ fruitur, quouſque ſeparatũ ſit, neq; ſenſibus, aut ſpiratione, aut manſu fungi poteſt, donec inſtrumenta ad id faciendũ idonea, ſint in procinctu: ſic quoque nõ anteà rationalis animæ operationibus incumbet, quàm caliginem, ſoporẽ, atque cętera animi vmbracula, quibus in tam teneris initiis cõſtat, diſpulerit, & ab illis expeditus, rationis munera exercere citra impedimentũ poſſit homo. Quæ omnia, haud ita facilè præſens etiã animus natus eſt efficere, quẽadmodũ cernimus quotidie; verùm progredienti ętatũ viciſſitudine, opus eſt aliquot annos ab exortu procurrerit, in quibus plures, in quibuſdam pauciores, pro temperamentorum varia natura, qua primum quiſque exornatus extitit. Calidi nanque natura, præcocius experiuntur omnia functionũ genera, quàm cõtraria præditi cõditione: exindeq; fit, vt priores citius incedant, manducent, dentiant, pubeſcãt, ac ſummum incrementum ſuſcipiant, ac conſequenter ratione vtantur ocius, ac poſteriores, qui eadem omnia moroſius cunctatiusque multò proſequuntur. Eadem ratione mulieres, quæ toto genere frigidiorem ſunt nactæ temperiem, intra vterum ſegnius efformantur, atque in lucem edũtur perfectæ: rurſum maſculi, & citius mouentur, & diſcretam particularum ſtructurã indipiſcentes, maturius ab eo vteri ergaſtulo ſeſe conãtur eripere.

Ob

Ob alias verò cauſas, vbi foràs egreſſæ ſunt fœminæ, augmentum capiunt breuiori tempore, habilioresque fiunt coniugio velocius viris ipſis: nempe illæ humidiores cùm ſint, extendendæ moli ſuppeditant vberiorem materiam, quàm virorũ aridior ſubſtantia. Hinc leges maiorum prudentiſſimè cauerunt, vti quatuordecimum annum ageret maſculus, fœmina verò duodecimum, quod minimum eſt, ſi coniugalis ſacramenti fide inuiolabili forent vnquam obligandi. Quis, obſecro, bimatum agentem aut annum ſolùm, aut trimeſtrem puerum anima rationali conſtitutum auderet affirmare, niſi ſanctiſſimis fidei orthodoxæ cogeretur admonitis? affirmamus tamen, quoniam progreſſu temporis, & altera poſt alteram die, paulatim cernimus diuinæ mentis aciem ſeſe ſponte erigere, indiesque magis diuiniſſimi numinis hactenus veluti ſopitam celſitudinem, reſipiſci conari. Ob hanc verò ſpem, quam de pueris concepimus cuncti, tametſi eos more brutorum agere interea temporis animaduerterimus, nihilominus tamen rationalem habere animam iudicamus: pari igitur opera, interim dum vtero geruntur, rationales ſunt cenſendi, quàm primùm humano generi dicatum opificium ſunt adepti, licet rationalis animæ nullum vſum exerceant. Admiramur propemodum omnes, infantum ſagacitatem, ingeniorum indolem, dexteritatem ad multa: & nonnunquam ex illorum reſponſione ceu diuina præſagia, conſiliaque ſalubria colligentes, accingimur, qui ſana mente conſtamus, ad vitæ rationem honeſtius componendam. Hæc itaque de intellectus ingreſſu in humanam noſtriq; corporis ſtructuram, opinione mea ſoleo aſſerere, nihil refractario animo defenſurus, argumentis efficacioribus diſſuaſus: ac proinde non ſemel ignorantiæ crimine incuſare eos ſum auſus, qui perinde ac ſi illis eſſet luce manifeſtior de formatione puerorum ſententia, aborſum procurantes ante trigeſimum diem peccati ſolùm reos exiſtimant; homicidij verò, non niſi tranſactis illis diebus, in viro ſcilicet, triginta; in fœmina verò quadraginta duobus. præcipuè cùm in re probabili tantum, illa ſeligenda

ligenda ſit potius ſectarum, quæ vitia arctat amplius, coërcereque videtur preſſius animorum ſceleratiſſimos impetus.

CAP. XV.

CAeterùm in menſibus eadem quæ in diebus iuxta rationem contingunt: nam & menſtruæ purgationes mulieribus ſanis ſingulis menſibus apparẽt, tanquam peculiarem quandam poteſtatem in corporibus obtinente menſe. Ex quibus & ſeptem menſes vtero gerentibus embryones ad principium perfectionis conſtituunt; pueris verò vbi ſeptem menſes à natiuitate vixerunt, tum alia conuenientia in corporibus fiunt, tum dentes in eo tempore apparere incipiunt.

COMMENTARIVS.

PER menſium quoque ſeptenarios nõ ſolùm morbi finiri conſueuerunt, verumetiam magna fit in corporibus mutatio, ipſis ad alias ætatum differentias tranſeuntibus. Sic enim in Aphoriſmis ſcriptum eſt: Plurimæ diutinæ paſſiones pueru- Aphor. 28. 3. part.
lis iudicantur, nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ in ſeptem menſibus, nonnullæ in ſeptem annis, quædam verò iam ad pubem accedentibus. Quæ verò permanſerint, nec in pubertate finierint puerulis, aut fœminis cùm menſtrua erumpunt, conſeneſcere conſueuerunt. De mutatione morborum per ſeptenarios menſium, lib. De natura hominis egit ad hunc modum. Quicunque morbi hyeme præualent, æſtate deſinunt, rurſum quicunque æſtate dominantur, hyeme ſoluuntur, dummodo illi intra periodum dierum non ceſſauerint; qui verò gignuntur verè morbi, autumno ſoluuntur. Sicut è conuerſo, qui autumno fiunt, vere deſinere ſolent. Quæ luce clarius promunt, ſeptenariorum menſium circuitu ſolui morbos, quando dierum terminos pertrãſire præſumpſerint, quadrageſimum dico diem & non-

nullos alios, qui per vigeſimi additionem reſultant, ſexageſimus, octoageſimus, centeſimus ſcilicet. Sed quòd in embryonibus eaſdem vires exerceat ſeptenarius menſium, palàm faciunt euidentiſſima ætatum exempla: nimirũ ſeptem menſibus dentire ſolent, ſeptem annis dentium fit mutatio, in duobus ſeptenariis annorum pubeſcunt mares, fœminæ verò menſtruas purgationes pati occipiunt, deinde in tribus ſeptenariis annorum fiunt fœcundi & ad generationem idonei, adoleſcunt à quatuordecimo ad vigeſimum octauum circiter, quinque ſeptenariis vigent homines, ſeptem climatericum præſagium tranſigunt, aut aliorum ſentẽtia, nouem ſeptenariis. Itaque veriſſimum extat quod Hipp. aſſeruit, per menſium circuitus mutationes accidere corporibus, cuiuſmodi ſunt menſtruæ purgationes; quæ deſinente menſe vt plurimum eueniunt, eaque de cauſa lunæ conſecratas eſſe fœminas adiecit Ariſt. Græc. σελωιαχὲς, id eſt, lunares. Embryones etiam primo menſium ſeptenario, principium perfectionis ſuſcipiunt, ſicut lib. huius initio dixerat, τὴν ἀρχὴν τελειώσεως: quod quidem de his qui vlterioribus menſibus ſunt naſcituri ſubaudiendum duxi, nequaquam de his qui præ robore maximo caloris natiui, tam vteri ipſius, quàm aliarum cauſarum, valent præcocius eam obtinere perfectionem quàm humana cupit conſtitutio, in tam teneris initiis.

2. De ſanituenda.

CAP. XVI.

HÆc eadem ratio in decretoriis diebus conſtituenda eſt, quam quidem fortaſſe quis coniungeret cũ his quæ recenſuimus, hiſtoriæque cauſa dicetur. Oportet itaque futurum optimum medicum cõiectatoremque de ſalute ægrotantium, contemplari quidem omnes dies, ex paribus verò quatuordecimum & vigeſimum octauum, & quadrageſimum ſecundum: hic enim terminus à quibuſdam ſtatuitur pro armoniæ ratione integer ac perfectus numerus

merus. Ob quam verò causam, longius esset in præsenti percurrere.

COMMENTARIVS.

QVAM vim dies decretorij in morbis obtineant, nuper diximus ad libros de eorum dignitate disceptantes, lectorem ingenuè ablegantes & ad ea quæ nos in expositionibus nostris scripsimus, dum de crisibus & febribus ageremus: in præsenti satis sit, si repetiuerimus morbos acutos vigesimo die, quod longissimum est, terminari; ocius verò quanto ipsi acutiores extiterint morbi. Insuper quadragesimus dies vltimus terminus præscribitur acutorum ex decidentia, primus verò eorum qui ob diuturnitatem cunctatius paulò iudicantur, ac longius protenduntur. Ita siquidem scribi 3. Aphor. 28. asseruimus, & in prognosticis euidenter affirmatur, bonam spirationem scilicet, magnam vim portendere ad salutem in omnibus acutis morbis, & in his qui quadraginta diebus iudicantur. Hæc quidem cum dictis iam poterit quispiam optimè coniungere, vt ex omnibus quæ dicuntur ac dicta sunt, vnicam disciplinam venetur, quantum attinet ad id quod de potestate dierum, mensium, annorum insinuauimus. Enarrationisque causa dicetur aliquid amplius mox. Quocirca debet optimus medicus, & qui solicitus est nimium de salute morbo laborantium, ac potissimum de præsagiis futurarum affectionum, omnes dies contemplari, tam pares Græc. ἀρτίους, quàm impares, Græc. περισσούς: quod in omnibus illorum differentiis, morbi suas sortiantur mutationes, vt ex Aphor. 4. Aphor. 56 constat, cuius initium: Sudores in tertio, quinto, septimo, nono, &c.

Quo loco parium & imparium mentio habetur ex æquo, & tam in paribus quàm in imparibus fiunt indicia & morborum terminationes: quanquam enim Aphor. sexagesimo primo iudicationes, quæ non fiunt in diebus imparibus, damnauerit, μάλιστα μὲν οὖν δεῖ τὸν ἀριθμὸν περισσὸν ἐυλαβέεσθαι. id est, potissimum attendendum esse numerum imparem in

epidemiis docens; id tamen æquius interpretatur Galenus, priorem ſcilicet ſententiam duntaxat eſſe audiendam, de morbis qui non iudicantur in criticis diebus, vereque hoc donandum eſſe importuno quæſitori, morbos citius iudicatos per impares moueri; ſerius verò id ſuſtinentes, per pares, vti primo Epid. part. 3. comment. 13. decretum eſt. Quod ſi quarto Acutorum quinquageſimo ſexto, omnes nominauit impares, de vigeſimo quatuordecimóve numeris habito ſermone, deque verè imparibus diebus, dicens, περιτὰι δὲ αὐτὰι, id eſt, impares ſunt autem & hi: fortaſſe aliquando vberrima vocum ſignificatione functus Gal. veluti ludens ad aliam ſeſe transfert, ac non iam περιττὸς, pro impari numero, ſed ἀντὶ τοῦ γονίμου, hoc eſt, pro præſtanti die vſus eſſe videtur. Quemadmodnm ſecundo Epid. quinta part. comment. 19. cœpiſſe ſubauditur, dum inquit: ἢν μὴ ἐν τῇ γονίμῃ μέθῃ ὁ πυρετὸς ὑποξωχάζῃ ἀνάλυσιν, hoc eſt, niſi in die præſtanti febris reliquerit, reuerti conſueuit. Hæc præter inſtitutum libuit adnotaſſe: ad illud reuertamur. Relicta nunc ſerie imparium, quos maximè alibi commendauit, de ſolis paribus loquens, ait: Ex paribus verò conſiderare oportet, quatuordecimum, vigeſimumoctauum, quadrageſimum ſecundum: omninò præter Galenicam inſtitutionem, quæ vigeſimum ſeptimum diem demptis duabus horis, menſis terminum præfigit, ſimiliter & quadrageſimum, non quadrageſimum ſecundum. Sed rectiſſimè adiecit, à quibuſdam reputari hoc, ab illis fortaſſe qui integras hebdomadas cenſendas eſſe autumabant: non quemadmodum Hippocratici ſectatores, qui quaterniones, & ſeptimanas dinumerãtes, quoſdam iunctim, quoſdam verò diſiunctim accumulant, quemadmodum ſignificauimus. Peritus igitur medicus, de morborum criſibus præſagiendis ſatagens, & certas ſalutis aut mortis pollicitationes facere cupiens, omnes exploraturus eſt dies, ac præcipuè ſingulos quaterniones: nec latebit eum, quonam ſe vertet morbus, 3. Pronoſticorum.

CAP.

CAP. XVII.

CONtemplari autem ſic oportet, per ternarios & quaternarios: ternarios quidem omnes inuicem commiſtos, quaternarios verò duos quidem ad duos alios commiſtos, duos verò alios ad duos coniunctos ſiue contiguos.

COMMENTARIVS.

POTERAT Hipp. perſpicua magis oratione vſus, breuius protuliſſe, ſi ſic fuiſſet effatus: Oportet quaternarios omnes & ternarios expendere, nec latebit eum quonam ſe vertere morbus poſſit. Sed fortaſſe peculiarius aliquid nobis inculcare cupiens, perplexo ſermone vtroſque numeros conſiderandos eſſe iubet. Nempe acuti ſolent per ternarios repetitas acceſſiones, vehementioresque inſultus paſſi, ad præſtitutum ſibi terminum properare velocius: ſicut qui diuturniores ſunt, per pares concitantur potius, vti dudum ex Galeno probauimus. Igitur vt vtrunque genus morborũ amplecteretur, prudenter admonuit, tam ternarios, quàm quaternarios fore expendendos: ſed lato ſatis diſcrimine, quippe ternarios perpetuò vult eſſe σωημμένους, hoc eſt commiſtos, & vnius termini communis participes. Verbi gratia: bini ternarij, quinque faciunt; tres, ſeptẽ; quatuor, nouem: atque ſic deinceps: in quibus omnibus vnicus dies cõmunis eſt à latere cõſiſtentibus ternariis. Quaternarij rurſum partim copulantur vt ternarij, partim verò contigui ſunt tantummodo, nullo die communi participantes: priores vocauit σωημμένους, poſteriores verò σωεζευγμένους. Hac ratione primi duo quaternarij, quæ primam ſeptimanam conſtituunt, contigui ſunt duobus aliis quaternariis, ſecundam facientibus ſeptimanam, ideoque σωεζευγμένοι dicti. Duo verò qui ſecundam ſeptimanam efficiunt, commiſti ſunt cum duobus aliis tertiam hebdomadam implentibus, quatuordecima nanque die tãquam termino communi committũtur. Hac planè interpretatione

conficitur facilè haudquaquam eſſe numerandos dies, aut hebdomadas, aut menſes integros, quin potius deficientes ac quadam ex parte minutos: quemadmodum vigilantiſſimi Hipp. & Galenus, oſtenderunt nimium exactè, 3. prognoſt. & pluribus aliis locis.

CAP. XVIII.

QVadragenarij verò primùm quidem decernunt in embryonibus: quoniam qui primum quadragenarium tranſigere potuerunt, aborſum effugiunt, ex omni cauſa contingentem: plures ſiquidem in primis quadraginta diebus eueniunt aborſus, quàm in aliis omnibus. Hoc autem tranſacto tempore, embryones robuſtiores exiſtunt, & in ſingulis particulis corpus diſcretum habent: atque in maſculis valdè conſpicuæ apparent omnes, fœminarum verò per id temporis carnes videntur ſolùm proceſſus habere. Similia porrò longius tempus in ſimili ſimilia perſeuerant, & tardius diſparantur, ob conſuetudinem & amicitiam quanquam quantũ attinet ad alia, vbi à matre ſeparatæ ſunt filiæ, ocius pubeſcunt, ſapiunt ac ſeneſcunt, propter imbecillitatem corporis, & viuendi rationem.

COMMENTARIVS.

PROLIXO admodum ſermonis contextu, conatus eſt Hipp. aut quiſquis ille auctor fuerit, oſtendere, membrorum articulationem in fœminis, quadraginta duobus diebus expleri, quod longiſſimum eſt; in maſculis verò triginta diebus: illud quidem expendens, partim ex ipſis aborſibus, partim verò per expurgationes à partu profluentes. Ex ipſis quidem aborſibus, illud probat, totam rationem ab experimento mulierum capiens: hæ nanque, ſi vnquam fœtum perdiderunt maſcu-

maſculum ante trigeſimum diem, inarticulatum eum ſe ieciſſe referunt, poſterius verò corruptum, articulatione præditum omni. De fœmella ididem, iuxtà ratione quadraginta duorum dierum. Ex ipſis autem purgationibus teſtimonium captat prædictæ aſſertionis, quod hoc texitur modo: quia genituræ in vtero conſiſtenti hærentiq́ue, pauciſſimus ſanguis à matre in vterum deſcendit, ſi fœmina eſt per quadraginta dies & duos alios, in quibus efformatur in articulos, ab hoc verò tempore copioſior ſanguis venit, in maſculo rurſum iuxta rationem triginta dierum. Atque huius dicti ſequentem nectit cauſam: Primos dies genitura in vtero comprehenſa, pauciſſimus ſanguis à muliere in vteros prouenit, deinde copioſior: ſi enim aceruatim veniret, genitura ſpirationẽ habere non poſſet, ſed multo ſanguine accedenti ſuffocaretur. rependitur in purgatione vice verſa. Purgatio ſiquidem puerperij in primis diebus plurima procedit, deinde paucior, donec deſinat: deſinit in fœmina tardiſſimè & perfectè in quadraginta duobus diebus: vacauerit autẽ periculo, etiamſi viginti quinque diebus purgetur; in maſculo verò triginta diebus, quæ tardiſſima eſt & perfecta: citra tamen periculũ fuerit, etiamſi viginti diebus mulier expurgetur. hæc ille. Ex quibus, vt reor, factum eſt, vti legem ſeruantibus Moſaicam, non prius liceret templa ſanctorum adire, quàm vbi poſt partum quadraginta dies crederentur eſſe omni ſorde expurgatiſſimæ. Quòd autem fœmellæ poſterius efformentur, articulationemq́ue recipiant particularum ſuarum tardius ac maſculi, id eſſe in cauſa putatur; quòd genitura fœminea debilior ſit, humidior atque frigidior quàm maſcula, ac perinde neceſſe eſt, ſegnius conformetur quàm maſculina. qua autem ratione id fiat, declarauit: Similia in ſimili longius tempus perſeuerare, ac tardius ſeparari, inquiens: quam orationem ſubaudiſſe cuipiam videbitur, de eo tranſitu, quo vnumquodque in ſibi ſimile cedit, atque mutatur, de quo lib. De natura pueri. Qui articulationem membrorum, eorundemq́ue diſcretam compaginem fieri tradidit, neruoſis in neruoſas,

neruoſas, oſſeisque in oſſeas ſubſtantias accedentibus. At cùm hæc deceſſio ſubſtantiarum, vtriuſque ſexus conformationi ſit ex æquo communis, de alia ſimilitudine par eſt fuiſſe locutũ, in qua diſcrepet ſexus à ſexu: dicemusque ideò formari fœminam cunctatius, quoniam in fœmina matre conſiſtens, longius tempus præſtolaretur, tanquam in ſibi ſimili ſexu, & cognatiori morata, conſequenterque ſimiliori temperamento, quàm maſculinus ſexus. Aſt vbi egreſſa eſt ex vtero, pubeſcit ocius, ſapit, ſimiliter & conſenescit maturius ipſo mare: quemadmodum quatuordecimo commentario ſignificaui, cauſamque nunc repetam vltrò. Fœmina humidior ac frigidior maſculo, ac proinde pluribus diebus durat purgatio ab eius puerperio, quàm à maſculinõ: humiditas autẽ augmento paratiſſima eſt materia, cui cùm calor haudquaquam deſit, in fœmina luce fruenti, citius augmentum capiet ſuum, ac cæteras ætatum viciſſitudines percurret. Secus puerorum habet ſubſtantia, quæ cùm aridior ſit, intra vterum quidem formationi extat idonea: extra vterum verò, haudquaquam paret cremento tantopere: quibus aliam addideris cauſam, hoc loco planè inculcatam, qui frigidam ſiccamque adepti ſunt temperaturam, τὰ χύμεϱι, vocantur Galeno eiuſque expoſitoribus, propterea quòd aliorum temperamentorum comparatione citiſſimè ad ſenectam properare videantur: nimirum exiguus calor, qui in illis ineſt, citò langueſcit, mutationesque ætatũ conſequenter facit. quemadmodum elegantiſſimè monſtratur lucernæ ardentis exemplo: quæ ſi parua ſit, eò quòd paucum alimentum poſſideat, breui tempore flammam fouet ac paſcit. Per eaſdem tamen mutationum vices tranſit, per quas magna, licet breuius. Qua de cauſa prudentiſſimorum virorum decreto, illud de pueris iam olim imbiberunt cuncti præſagium, quo docentur præcox puerorum ingenium, hoc eſt ocius ac ſolet communis hominum natura ſapientiam prudentiámve oſtentans, ſerò venire ad frugem: apertè intuentes, velociſſimè tales conteri, ac ſeneſcere, ac veluti vmbram è corpore pendentem, aufugere.

fugere. Quod in exiguo calore conſtantibus, vſu venire ſolet. Et propter diætam, hoc eſt victus inſtitutionem, citius ſapere ac conſeneſcere fœminas ipſis maribus aſſeruit: ocioſam fortaſſe intuitus viuendi ratione, & quam vulgò conſueſcunt agere vitam ſedentariam, carpentes lanas, & reliqua munia domeſtica obeuntes ſtrenuè. Ocium verò ſi quidpiam aliud, vires eneruat, atque nimis multum minuit: vſus econtrà, robuſtiſſimas efficit, & ad quoduis moliendum opus idoneas reddit. Cætera quæ de quadragenario dicuntur, nihil plus firmitatis habent, quàm quòd illud Hipp. affirmauerit, plurium muliercularum obſeruationem experientiamq; ſecutus: ex quibus liquidò cernitur, intra id tempus vt plurimùm aborſus fieri, atque eodem exacto, ſecurius multò agere grauidas, quantum ad aborſus attinet. Cæterùm tametſi abrupto ſermone, enunciauerit auctor, exacto primo quadragenario poſt conceptum ſecuras eſſe grauidas ab aborſu ex omni contingenti occaſione; id tamen citra calumniam intelligatur, & vt decet expurgatæ naris lectore, æqui boniq́ue conſulatur. Quod equidé fiet, ſi vt plurimùm, aut plus cõtingere in quadragenario primo, quàm in aliis deinceps annumeratis, interpretemur: præterea ſi de cauſis agatur internis corporis vtero gerentis, aut fœtus ipſius, neutiquam de forinſecus illabentibus, quæ nullo non tempore illis obuerſari poſſunt.

CAP. XIX.

ALter quadragenarius eſt, in quo quidem fœtus in vtero exiſtens circa octauum menſem ægrotat: de quo hic ſermo vniuerſus pertractat.

COMMENTARIVS.

QVADRAGENARIVS, non ſolùm erga morborum criſes & ſolutiones maximo in pretio haberi ſolet, ſed & circa embryonum mutationes: qui de tribus prædicatur præcipuè, nempe de primo, qui poſt conceptionem computatur; & de ſecundo, qui ſextus eſt ab ipſa cõceptione, quiq́ue men-

ſem octauum aut ambit, aut circiter conſtituit. De quo loquens anteà protulit. Eos ſcilicet qui in eo naſcuntur, morti fore obnoxios, aut quibus tunc ægrotare contigerit: niſi aut præ robore virium, aut afflictionum fragili admodum inſultu, ad nonum menſem, & multò melius, ad decimum vſque menſem peruenire valuerint. Conſimile iudicium faciunt ſcriptores de hoc ſexto quadragenario, ei quo ſextum diem tyranni regis æmulum efficiunt, omninò infidelem, & omnium malorum conciliatorem prædicantes. Sed quænam reddenda ſit cauſa huius, haud facilè ſcriptum inuenias. Quanquam enim ſeptimum quadragenarium nonimeſtres decimeſtresque includere libenter dixerint, ob idque eſſe laudabiles partus eiuſmodi velint: perpetuò tamen manet roganda cauſa, quæ, cur ſeptimum quadragenarium probet, ſextum minimè, reſpondeat. Similiter cur quintum, qui ſeptimeſtres gubernat, ſextum nequaquam. Sed aiunt Pythagoricis numeris addicti, ſeptenarium nonúmve numerum compoſitum eſſe ex mare & fœmina, octauum verò pariter ac ſextum, non niſi aut ex vtroque maſculo, aut vtroque fœmina. Quare ſeptenarius fœcundus erit & validus, ceu ex coniugio prolifico ſubortus, alij nequaquam. Vocant Pythagorici parem numerum, fœminam; imparem verò maſculum. Cumque ab illis exegeris, cur igitur decimus menſis partus, boni ominis exiſtimatur apud vos? Reſpondent: decimum numerum, verè quidem infœcundum eſſe, quantum attinet ad præfatam rationem: ſed alia ratione probari; illa nempe, qua complementum numerationis, & perfectus numerus exiſtit. Eam autem perfectionem eiuſmodi epilogiſmo oſtendũt: Non aliundè (inquiunt) factum eſſe putauerit quis, vt gentes omnes ſolùm didicerint computare ad hunc vſque numerum: demptis Thracibus, qui immemores valde, ad quaternarium ſolùm attigerunt. Quam opinionem, quis veritatis amantiſſimus non damnabit mox vt audiuerit? cùm non deſit illis cauillus, quo hos numeros probent, illos verò prorſus exhibilẽt atque explodant.

plodant. Præcipuè cùm ſua ſententia, probaturi forent quinquemeſtres partus: quandoquidem quinarius numerus ex impari pariq́ue reſultauerit, prolificis ac fœcundis, illorum ſententia. Improbandi etiam eſſent decimeſtres eodem fundamento: ſiquidem, aut ex imparibus componitur, aut ex paribus. Iam verò aſtronomi, quorum ſententia Saturnus octauo tributim menſi, planetarum omnium vitæ inimiciſſimus, qua lege illud ſenſerint, deceret explicaſſe; niſi placato ſuo ſic ſenſiſſe, reſponderint. Donemus porrò Platonem naſci decimæ diei, hora decima, menſis Decembris; Socratem octaua die Nouembris, veſperi: quo iure fiet, vt vtroque tempore Saturnus vigeat, atque dominetur, etſi millia hominum naſcantur in infinitum variis horis, in totidem ſit dominator primi menſis, & octaui ab ipſo conceptu. Rurſum Iupiter fauet mihi hodie ſeptimum agenti menſem, & eodem tibi Saturnus octauum menſem vtero geſtato. Poſtremò, vt octauo menſi Saturnum vendicaſſent, relicto planetarum ordine, primum menſem Saturno tribuunt, ſecundum Lunæ; quod ſanè à quo fuerint edocti, explicent oportet, aut dicant ſuis figmentis, feciſſe opinionem. Vnde ratio illa quæ ſeptenarios, quadragenariosq́; extollit, ceu diuina quandam vim adeptos, quæ morborũ, embryonũq́ue fortunas aut fœlices aut infœlices reddat, eatenus à me amplectetur, quatenus illis numeris explicarit tempus ſtatutũ natura cuique actioni conſummandæ: quod quidem non poteſt non eſſe multiplex, pro vario temperamento rerum, pro regione, tempore, variis, proq́ue varia cauſæ facientis natura. Inter quæ ſanè; quæ calida fuerint, effectus producent ocius; quæ verò frigida, tardius; & quæ mediam fuerint nactæ conditionem, mediam rationem temporis ſeruabunt. Sed de his paulò ſuperius nonnihil egimus.

CAP. XX.

TErtius quadragenarius eſt, in quo cùm nati ſunt pueri, vel malè afflicti, ac effugerint quadraginta dies, magis robuſti & ſapientes conſpiciuntur: ſiquidem manifeſtius fulgores aſpiciunt, ſonum quem anteà minimè audiebant, exaudiunt, tanquam hoc tempus incrementum habeat, & in aliis & in prudentia, quæ ex corpore procedit. Proprium etenim ſapientiæ indicium in ipſo corpore lucens, in prima die viſitur: nam vel in ſomnis ipſis ſtatim quod obrepſerunt, ridere comperiuntur pueri, pariter ac flere, vigilantes quoque ſuapte ſponte, mox rident ac flent. Priuſquam verò quadraginta dies præterierint, neque rident, neque lamentantur, tametſi irritentur, & titillatione tangantur, donec hoc tempus tranſierit.

COMMENTARIVS.

QVADRAGENARIVS tertius mutationem inſignem in pueris faciens, à die natiuitatis fœtus computatur, de quo hanc auſus eſt Hipp. diuulgaſſe ſententiam; nempe tranſacto primo quadragenario, robuſtiores ſeipſis reddi fœtus, & magis ſentientes; hanc enim ſapientiã vendicare poſſumus tantillæ hominum ætati, hoc eſt, ſenſificarum facultatum acrioré ſenſum. De qua re loquens Ariſt. idipſum voluiſſe videtur, inquiens: ἃ δὲ κνιζόμενα τὰ πολλά αἰσθάνεται. hoc eſt, neque puncti magna ex parte ſentiunt. Quaſi vellet prudens edocere, exacto illo tempore, & vbi exaucti fuerint paulò vlterius, euigiles fieri magis, inſomniare plus, atque præteritorum recordari, promptius præterea percipere ſenſibilia, quod aliis verbis innuebat Hipp. Explicantur porrò paulatim ſenſuum opificia, à nebuloſis quibuſdam caliginibus, & tetro chaos: quibus obfuſcata manſerunt, poſt illam generationem,

rationem, quæ & multos vapores genuit, & recrementa plurima, quibus elixationes coctionesve scatere passim cernimus. Ab his igitur repurgati sensus indies magis sentire poterunt commodius, & ad sapientiam prudentiamve seminaria parare veberiora: experimenta etenim quæ sensibus acquiruntur, intellectualibus operationibus suppeditant fomentum, ex quo generales notitias producentes, sapientes efficimur. Sed rectè dixit, (in prudentia, διὰ τῦ σώματος, id est, quæ per corpus procedit): nã alia sapientia, & rerũ altissimarum cognitio, tum quæ de principiis per se notis habetur, absque sensuum adminiculo nobis conceditur. Sed quòd in sentiendo promoueantur pueri, præteritis primis quadraginta diebus, est in comperto: cùm in somno ipso statim vbi ingruerit, ἐυθὺς ἐπὴν γένωνται Græc. ridentes appareant, simul & lugentes pueri, vigilantes rursùm, sua sponte mox subrideant, ac fleant. Quæ oratio, apertè de illis subaudienda est, vbi primus ab ipso ortu præcesserit quadragenarius: nam ante illud tempus, neque ridere, aut lugere, tametsi vellicentur atque titillentur, Hipp. met confessa conclusione perorat, in fine huius commentarij. Quamobrem Cornarium admiror, qui in eadem ferme linea, ante finem primi quadragenarij ridere & flere pueros asseruit, & contrarium omnino sensum: quod minimè feciſſet, si aliter orationis particulas distinxisset. præterea si legisset Hipp. acrius, qui proficere in sapiẽtia voluit infantes exacto illo tẽpore, visu & fletu accedentibus: necnon si Arist. qui sic habet: τὰ δὲ παιδία ὅταν γένωνται πρὸ τετταράκοντα ἡμερῶν, ἐγρηγορηκὰ μὲν οὔτε γελᾷ οὔτε δακρύει, νύκτωρ δ' ἐνίοτε ἄμφω. id est, pueri vbi geniti sunt, ante quadraginta dies vigiles quidẽ neque ridẽt, neque flent, noctu autem vtrunque faciunt: Clarissimo testimonio comprobat Arist. Hippocraticam assertionem, quæ intra primos quadraginta dies neque lugere neque ridere pueros decernit, saltem dum vigilant; quippe noctu, haud negauit interdum id accidere posse, sicut neque Hipp. iret inficias, dum modò prior assertio vt plurimùm habeat: nam & ego vidi

aliquot recens natos, lugentes ſtatim ab egreſſu: cuius rei fidem facerent qui adſtiterunt parienti duci ornatiſſimæ clariſſimæque fœminæ de Scalona, anno milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo ſecundo, menſis Auguſti principio. Plinius quoque Zoarem enarrauit riſiſſe, eo die quo genitus eſſet, veluti vnicũ inter naturæ miracula: ita vt non tam luctus denegandus ſit à pueris naſcentibus, quàm riſus ipſe, probante hominũ oculata experientia, plerunque lugere pueros vel in ipſo vtero ſecũdum partem morãtes, necdum foràs egreſſos. Niſi hoſce viros ingenio & ſapientia præſtantiſſimos, de his egiſſe ſolùm confiteamur, qui ſecundum naturæ legem oriantur: cuius ea ratio eſt, vt eorum ſit quæ vt plurimùm & frequenter eueniant. Sed nimium crebrò eos lugere intra illud tempus experimur; dicendum ergo, eos id facere, dum dormitum aut eunt, aut in ſomnum deferuntur.

Emendauimus τὰς ἀυγάς, id eſt, fulgores, quo loco codex Venetus τὰς ἀυτὰς habebat.

CAP. XXI.

HEbetantur etenim facultates in temperamentis, ac mortem fato ſortimur: vt hoc ſit exemplum cunctis. Quæ ſecundum naturam conſiſtunt, mutationes pati temporum ſucceßione: hoc autem declaratur, cùm in ſingulis, alia fiant, alia verò perimantur. In fine quidem anni multi morbi inſurgunt, multorum etiam ſanitas pro temporis ratione & ad menſes, et ad ſingulos dies: in ſeptenariis, plura alia corporibus accidunt conuenientia, pueris autem dentibus excidentibus alij producuntur. Quæ etiam in corporibus fiunt, ea ſcribam.

COMMENTARIVS.

CAVSAM nititur reddere, ob quam intra primos quadraginta dies, hebetiores obtineant ſenſus pueri, & deinceps acutio-

acutiores fiant, dicens, hebetari facultates ſenſificas recens natorum in muccis, vertebat Cornarius, fortè legerat μύξαις; tanquam hæc ſit putanda cauſa huiuſmodi hebetationis, plurima recrementorum humidorum moles, quæ ex tanto opificio, quanto corpus humanum comparatur, par eſt redundet, & ingeniola ſenſusque obruat atque grauet. Sed mihi in primis arriſit Veneti codicis lectio, quæ ſic habet: ἐν ταῖς μίξεσι, id eſt, in temperamentis: hæc nanque placitis medicorum ſimul & philoſophorũ rectà reſpondet, qui mores, temperaturam corporis ſequi methodo propè diuina comprobauerunt. Iuxta quorum diſciplinam, proculdubiò in humidiſſimis ætatibus, cuiuſmodi ſunt recẽs natorum, in immenſum recrementa redundant, quæ meatus occludant omnes, & omnem virtutibus præripiant penetrationem, earumque vehiculis ſpiritibus: à quibus orbata ſenſuum inſtrumenta, neque illuſtrari quibunt, neque in ſuas functiones exercendas prodibunt vnquam. Quæ cùm in pueris ambo conueniant, veriſimile eſt his de cauſis puerorum ſenſus principio hebeteſcere: licet in progreſſu in horas exacuantur, & ad ſua munia expeditiores quotidie fiant. Conſimili argumento, pituitoſas naturas inutiles prorſus exiſtimauit Galenus, quãtum attinet ad morum cultum; è conuerſo in bilioſis, dexteritatem atque prudentiam locauit, & in melancholicis conſtantiam & integritatem, in ſanguineis autem ſtupiditatem. Quanquam alibi plurimùm conferre ſanguinem ad prudentiam ſcripſerit, lib. primo De morbis: quod de tenui ſanguine, & ad bilioſam naturam declinanti, reputo poſſe optimè pronunciari. Ea ratione, qua Ariſt. apes ad intelligentiam habiles effecit, & partes ſupremas noſtri corporis: quòd in his tenuior ſubeſſe humor ſanguineus credatur. [Et quidẽ mors fato datur] obſcuriſſimus, ſi quis alius locus Hipp. Quid enim ſibi voluiſſe dicendus eſt, dum mortẽ, Parcarũ manu, aut fortunæ nobis obtingere ſignificauit? vtrunque ſiquidẽ vox illa, μοῖρα Græcis portẽdit, nunquid ſenſus hebetari puerorũ præfatus, ob tẽperamenti largam humiditatem, à ſua creatione compa-

De phyſiognomia lib.

1. De natura humana. coº. 4.

comparatam, id fieri posse confirmat, quoniam & mors ipsa secreta ratione succedit, hoc est fortuna, quæ varias causas comitatur; quæ etsi ab intelligentibus dimanarint, non tamē secundum intentum scopum, quod est esse fortuitum. Aut fortuna fieri dicamus ea, quorum causas ignoramus, 2. De placitis ex Platonis philosophia: indeq; mors & sensuū hebetatio à latēte nos causa prouenire dicētur. Aut rectius, fato nobis obuenire mortem inculcauit; hoc est, temporum vicissitudine: tempus nimirum gentilitati Saturni nomine obuelatum, filios, omniaque ab eo prognata vastat, mutat, & ad nihilum redigit tandem, perpetua mutatione qua pollet, & ineuitabili rerum sorte fato dicta. Quocirca meritò triplex genus causarum Hipp. lib. 3. De morbis, designauit, consequenterque mortis ipsius primùm quidem violentam rerum externarum incursionem, secundum verò, internos humores corporis cuiusque, tertium ac postremum, cælestem influxum sanitatis corporalis corruptorē irrefragabilem, quam fatum, Parcas etiam ipsas, iure quodam possemus compellare, gentium consuetudinem secuti, cùm ineuitabilis sit, quæ ab eo manat perpetua in res ipsas alteratio. Cęterùm vera esse quæ scribimus, manifestissimè liquebit, si quæ adiecit, attenderimus, sitque hoc exemplum. Quæcunque secundū naturam ex eisdem constant principiis, successione temporū mutantur, ita vt singulis alia fiant, alia pereant, quemadmodum quotidie vsu venire cernimus, alia nasci denuò, alia verò ætate defecta sine violentia quapiam pessum ire. Nihil porrò stabile ac firmum, at cuncta sunt caduca, fragilitateque sua susque deque prolabuntur: adeò vt non defuerit philosophorum opinio, quæ nullo momento quidquam sibi simile perstare posse asseueret. Subinde, anno τελεμένῳ. hoc est, interea dum currit, & ad finem cursat suum, morbi generantur varij, hyeme quidem alij, alij æstate, rursum alij autumno, in vereq; alij diuersi, de quibus 3. Aphor. vbertim fecit Hipp. & Galen. Et vt fiunt in similibus temporibus similes, sic quoque in contrariis sanantur morbi, contrarietatis ratione; secun-

2. Physicorū.

Plato, eo sensu fatum censet non posse vitari, in Gorgia. & Cic. De fato.

ſecundum ea quæ nuper ex lib. De natura hominis adduximus, docentia planè hyeme genitos morbos æſtate ſanari, rurſumque æſtate comparatos hyeme funditùs propulſari. In ſeptenariis, multa diximus conuenientia hominibus obuenire, ſiue de mutationibus egerimus ætatis curriculum comitantibus, dentitione ſcilicet, pubertate, menſtruis fluxibus, fœcunditate ſeminis, adoleſcentia ſimiliter & vigore, ſiue de morborũ generatione, aut congrua curatione: non eſt quòd iterum repetantur, ſi id ſolùm præfatis iam adiecerimus quod ſequitur. Dentibus nimirum excidentibus, qui primùm fuerunt producti, renaſci alios poſt ſeptennium citiùs aut ſeriùs, pro temperamentorum diuerſa ſpecie: demptis quos vocant ſapientiæ, quosque naſci vigeſimo octauo anno putat Hipp. aut longè poſterius, quemadmodum addit Ariſt. cordales vulgus hominum appellat, qui nunquam excidunt, niſi vitio morboſo, aut violento ictu. Quæ ſcribit Hipp. ad corpus attinere, fatetur ingenuè, & ad iſtam, quæ nobis conſpicua eſt, naturam: nihil nunc de his quæ ſola mentis acie diſputantur. De carnibus.

LAVS DEO.

AD LECTOREM.

VLtrò ſanè abſtinuiſſem ab interpretatione horum duorum paruorũ librorum Hip. De ſeptimeſtri ſcilicet partu, & de medicamentis purgantibus: eò quòd aliis in locis, aut à nobis aut aliis, quæ in eis continentur, abundè fuerint expoſita. Verùm cùm animus ſemper fuerit, qualemcunque meam diligentiam, in communem R. P. vtilitatem impendere: non tam libuit inſpicere, quid per ſe quiſque poſſit, aut aliis commentariis adiutus intelligere, quàm ne quid ſine commentatione perſpicua, publicè circunferatur, aut Hippocratis aut Galeni. Cupio ſanè paruulos, parumque in medicinalibus inſtitutis promotos, ad ſeueriſſimorũ auctorũ ſcripta præproperè legenda, plurimùm excitare, illaque perinde reddere perua: vt nemo ſit qui verè dicere valeat, aut non potuiſſe Græcorũ volumina capere, aut præ ignoratione eorũ neutiquam obſeruaſſe, quæ erga medicationem morborum lectu traduntur digniſſima. Accipe igitur Lector ſtudioſe hæc parua munuſcula, & tuo vſui vtcunque profutura: nam qui in paruis iſtis tantoperè ſatagit tuæ vtilitati conſulere, ſi fortè maiora præuiderit, ſingulis diebus curabit communia reddere, tametſi ob negociorum multitudinem, quibus aſſiduè diſtringitur, aliquanto tempore differri viſa fuerint. Fac ergo boni conſulas, quæ tam humaniter offeruntur. Vale.



LIBELLVS HIPP.

DE MEDICAMENTIS PVRGANTIBVS; INTERPRETE FERDINANDO MENA,

Philippi regis Hisp. regum omnium facilè Christianissimi & maximi, medico cubiculario, & Complutensis scholæ professore primario.

CAP. I.

MEdicamentorum expurgantium res, non ita se habet, quemadmodum vulgò putatur.

COMMENTARIVS.

HAVD temerè, neque illotis (quod aiunt) manibus, medicus alioqui prudens, & secundum artis medicinalis præcepta progrediens, ad purganda humana corpora debet accedere: cùm neque id faciant mulomedici, & veterinariam exercentes artem. Verùm consultè prius agentes, erga morborum bruta vexantium dignotionem, eorundem nituntur deinceps vitia depellere, sanitatemque post multa conciliare. Quod planè docent libri illi duo, τῶν ὑποκαθαιρόντων, in quibus sanè Abyrtus, Pelagonius, Ierocles, atque alij non pauci eruditique viri, suas sententias subscripsisse referuntur; in eisq; nimium diligenter curasse, reperiuntur, qua ratione brutorum mala sint propulsanda. tum præterea, quoniam medicis subiecta corpora, longè admodum sunt præstantiora, & animalium omnium dignissima, cuiusmodi homo existit, cuius ergo cætera quæ in orbe conduntur, sunt producta citra vllius inuidiam: quamobrem illius vires periclitādæ sunt in medicationibus; & interitus sequetur, nisi nimia cum præmeditatione, imminentia ex morbo pericula deuitentur. Cùm ergo, vt id rectè facias, noscenda sit multò ante purgationem moliendā, & medicamenti purgantis natura, ipsiusq; Politic. 7.

purgandi corporis: maiori apparatu opus eſt, quàm vulgus omnino imperitum, & medicorum maxima pars, ſtultè ſatis exiſtimat. Ij ſiquidem omnes, temerario quodam iudicio ducti, quemlibet hominem expurgare conantur: cùm non niſi valdè indigentes id diſcriminis habeant ſubire, vt Plato in Timæo ſuaſit, & eum ſecutus Galenus, 3. Aphor. quindecimo. Subinde ignorata prorſus redundantis humoris differentia, minimè verentur obuio quocunque pharmaco id efficere: ita vt apud nullos alios certiorem eſſe Hippocraticam ſententiam duxerim, quam apud eiuſmodi homines, qui de ſanandis corporibus hominum quoque ipſorum tractant. Ea eſt lib. De lege: Imperitia timiditatis & audaciæ nutrix: timiditas equidem impotentiam, audacia verò ignorationem artis ſignificat. Ego ſanè neminem audacius de facienda ſanguinis emiſſione, aut purgatione decernentem experior, quàm quem aut minimum diſciplinæ medicinalis, aut omnino nihil didiciſſe comperio. Nam ſi tot annis ſcriptam ſententiam, quæ de ſelectu medicamentorum pro varia humorum ſpecie pertractat, tenuiſſent: nequaquam tam turpiter in ea re cæcutiuiſſent, ignorantes penitùs, quod tantopere extat neceſſarium. Quinetſi medicamentum ſelexerint ad amuſſim humori peccanti contrarium, non protinus fit, vt indiuiduam corporis naturam cognouerint: quæ ſæpius aliam purgationis vim deſiderat, quàm eiuſdē temperamenti hominū cōmunis conditio poſtulare videtur. Quotus quiſque etenim eſt, qui non ſatis quotidianis experimentis fuerit aſſecutus, bilioſis hominibus & morbis, haudquaquā expedire idem pharmacū, neque eadē quantitate præſcriptū: ſicut neque pituitoſis corporibus & morbis? aliis porrò inuenio vſu venire caſſiam nigram, aliis mannam, atq; aliis rhabarbarum: quemadmodū & quibuſdā è conuerſo, diaphœnicon em, aliis cnicum, quibuſdā aliis agaricū, ac demum ſuum cuiq; placere medicamentum; neque ſolùm placere, ſed & mirificè admodum eſſe proficuum, & citra magnā corporis turbationē, & admirabili cum virium εὐφορίᾳ ſeu tolerātia, corpus exinaniens.

niens. Quod nemo non mortalium vehementer efflagitat, quando de potando pharmaco habetur illi deliberatio. Iam verò, occaſionem Græc. καιρὸν, ſumendi pharmaci, nõ poterit indocta plebecula rectè iudicare: quę prius ad apertas ſemitas requirit, per quas fluant trahendi humores, membrorũ item emollitionem, ne calfacientis pharmaci facultate, natiua humiditate hauriantur, fiantque ſubinde aut ſpaſmo, aut febri idonea. Coquendus ſimiliter eſt, priuſquam vacuetur vitioſus ſuccus; ne ſi à retentrice ſimul & coctrice virtute obtentum ſtatueris foràs extrudere, corpus neceſſariò perturbes, ceu peruerſo facultatum ordine, quo conſtitutum eſt à principio, expultricem non antea munere ſuo fungi, quàm alteratrix ac retentrix, opus ſuum ſtrenuè perfecerint. Hæc quidẽ adſint neceſſe eſt præparationes, in corpore citra queſtum vllum expurgando; ſed illa quoque abeſſe debent impedimenta, quæ pertinaciſſimè ſuccorum extractionem cohibere notantur, obſtructio (inquam) primarum venarum, hypochondriorum tumor, & crudorum ſuccorum copia. de quibus ſuo loco Galenus, & nos eum ſecuti, lib. De purgatione. Dimitto nunc quot ſit contemplaturus ſcopos, qui abſque errore ſit quenquã expurgaturus, quos conſtat eſſe propemodum infinitos, locum præcipuè patientẽ, temperamentum patientis partis, ſocietarẽque, acumen ſenſus aut hebetudinẽ: de ſolis viribus monebo curioſius, quas validas eſſe debere ſemper quod adhibendũ eſt efficax aliquod auxilium, quis inficiatur? Quinimò, cuncti fatentur ingenuè, pro illarũ menſura, metiendum eſſe pharmaci pondus, nihilq; eſſe patrandũ vnquam, illis repugnantibus: quod tamen diſpari obſeruatione procurandũ eſſe videbit, quicunq; in eam mecum iuerit opinionẽ, quæ maius robur virium exigit ad exercendam purgationẽ, quàm ad ſanguinis miſſionem. Sed cæteri ſcopi duntaxat demonſtrant, plus minúſve detrahendum eſſe humorum, necnon ideam redundantium: morbi verò magnitudo & virium robur ſola, cogunt ſummopere vt eos incunctanter vacues, morbi nempe magnitudine periculum minan- De purgat.

minante niſi ſubueneris actutum, viribus verò conſentientibus. Sic ſanè ſcriptum eſt lib. De optima ſecta, tempus adhibendi auxilij tunc maximè inſtat, cùm morbus poſcit remedium, & vires ſuffragantur: inſtat autem morbus, cùm magnus exiſtit, aut in eſſentia propria, aut in præſtantis actionis, aut præcipuæ partis dignitate pariter ac præſtantia. Neque verò rectè feciſſe dicendus eſt vnquam, is qui magnitudine malorum perterritus, principio ipſo terga dare cunctis palàm conſulit: cùm præter argumenta quibus alibi eum refellere tentauimus, hoc ſolo conuelli ſufficienter videatur, quod ab Hippocratis irrefragabili auctoritate dimanat. qui lib. De morbis primo hæc reliquit literis prodita: καιρὸς ἐστὶ, ἐπὶ ὃν τὶ τούτων ἄνθρωπος πρόσχει, εἰ τίς μιν τὴν ψυχὴν μεθιέναι ὠφέλησε, εἰ τίς γε ὠφέλησε, ἐν καιρῷ ὠφέλησε. hoc eſt, occaſio eſt, ſi quis laborantem aliquo morbo hominem, antequam animam efflet, adiuuerit: etenim ſi quis iuuit, in occaſione iuuaſſe dicendus eſt. Apertiſſimum ſanè teſtimoniũ, quodque deſpondentes animum manifeſtò redarguit: qui quandiu ſpes vlla manet ſecuturam eſſe vtilitatem, ex adhibitis præſidiis, neutiquam debent ab incepto medicationis officio deſiſtere.

CAP. II.

EOdem etenim medicamento, purgantur & non purgantur.

COMMENTARIVS.

INTEREST maximi, ſi cum præmeditatione multa quis moliatur corporis humani purgationem: nam præter iam dicta nocumenta, & errores, quos imminere probauimus indoctè illud comminiſcentibus, hoc in primis accedit, vt ſæpius idem pharmacum nihil purget, quod fortaſſe plures alios inanire conſueuit. Nam cùm tot præparationes exigantur quot diximus, & præter impedimenta quę per ſe prohibent vacuationem, plerunque indiuidua corporis intercedat conditio, fit herculè vt eodem medicamento nonnulla purgentur cor-

pora,

pora, quædam verò, alia minimè, maximo cum medicorum dedecore. Diſcendæ ſunt medicamentorum naturæ, tempus quoque exquirendum eſt, in quo illa debeant aſſumi, nec non corporum ſuſcipientium temperaturæ variæ, lib. De theriaca ad Piſonem, & 2. Epid. Sunt nanque, qui tam facilè ea capere poſſint, & ad eorum potationem ſint propenſi, vt non ſolùm nihil incommodi experiantur, vt potius illa coquentes, in ſuam ſubſtantiam penitus transferant, haud ſecùs ac alimenta verè dicta. Quidam verò alij, eatenus ſunt inepti medicaminibus deuorandis; vt nulla ratione ad illorum ſorbitionem perſuadeantur, exorpta verò ſubinde ventriculus auerſetur, & vtraque ratione totus contremiſcat, ac exoluatur. Iam verò accidit, vt quantitas præſcripta pharmaci nequaquam attingat deſideratam vacuationem: quanquam enim in plurimis ſcriptoribus notata ſit medicamentorū largiendorum quantitas, quæ experimentis aſſiduis hactenus creditur eſſe comprobata; veruntamen experimenta illa in paucis admodum potuerunt eſſe deprehenſa, illisque nō niſi mediam naturam adeptis. Reliqua verò corporum immenſa moles, quæque in diſtemperatorum infinitam propè amplitudinem inclinat, ex parte tantum potuit eſſe agnita: aut potius hucuſque ignorata eſt prorſus, propterea quòd maioris minorisque ratione lanceque explorata, & circumſtantiarum quæ ab externis interniſve ſumuntur cauſis, accedenti numero, vix, ſed ne vix quidem haberi poſſit, de certa corporū diſtemperatorum claſſe, tutum certumque experimentum. Bene proinde veluti de re difficili protulit libro De alimento, μέγα γὰρ ἐστὶ ποσὸν, εὐσόχως ἐς δύναμιν συναρμοσθὲν. hoc eſt, maxima quidem res eſt quantitas, ad vires ipſas, certa quadam ratione coaptata. Quocirca medicinarum doſes, apud pharmacopœos deſcriptas, ſolis temperatis corporibus conuenire duxi ſemper: in reliquis verò coniectura fore metiendas, ſecundum quod ab illis plus aut minus declinauerint. Quòd ſi coniectura eſt incerta, incerta quoque ſit neceſſe eſt erga debitum cuique pharmacum iudicatio: tametſi hac in parte

rarius

rarius peccans medicus incuſandus minimè ſit; culpandus verò, qui contrà, tranſuerſa vt plurimùm proceſſerit medicationis coniectatione. Quam ſanè minus certam exiſtimationem, erga purgandi corporis ſortem habendam, cùm olfeciſſet Hipp. ad Crateuam ſcribens, quæ ſequuntur aſſeruit: Incerta (inquit) eſt coniectura eorũ, qui cautè in purgationibus procedunt. Perinde ac euidẽtiſſimè ſignificaret, incautè & ſine prædictis ſpeculationibus medicantes, obſcuriſſimè poſſe de re purgationis diſceptare; cùm vel ipſius ſententia, qui cautiſſimè, & ſumma cum dexteritate, rem eandem conficere concertant, probabili ſatis, & ad vtrumlibet nutanti ratiocinio, apertè ducantur. Eapropter ſolebam, non ſine auditorum admiratione, profiteri olim practicas inſtitutiones, quæ citra vllam diſtinctionem de morbo quolibet tractantes, ſyngraphas præſcribunt ex certo medicamentorum pondo conſtitutas, fore comburendas omnes prorſus: quippè indocti planè medici, neſcientes omninò citra commentarium, propoſito laboranti medicamentum purgatorium deſignare, ad ſcripta volumina coacti venire, quod illic offendunt exaratum, libenter inſtituunt. Satis ſe egiſſe poſteà gloriantur, ſi aut ex Manardo, aut Matthæo, aut alio quouis ſcriptore, propoſitum deprompſiſſe pharmacum, valeant demonſtrare: cùm ſine dubitatione, aliud atque aliud præſcribendum eſſet, pro corporum varia temperatura, pro ætate diuerſa, & viribus indicibili diſcrepãtibus menſura. Quod vtique minimè contingeret, ſi ſimpliciter illi ſcripſiſſent, ex ſucco roſarum electarium, rhabarbarumque tertiana laborantibus expedire: quantitatem autem limitandam eſſe, poſtquam debitam fecerit quis, de corpore expurgando, de viribus, de ætate, deque aliis multis animaduerſionẽ. Quam cùm nequeant habere, niſi artis præcepta optimè calluerint, docti ſolùm audebunt prouinciam de medicandis corporibus humanis ſubire: vtpote quibus ſolis pateat, quantum qualeque pharmacum, & quo tempore ſit ægrotis porrigendum. Vſquequaque igitur verum eſt, non ſe habere rem medicamen-

dicamentorum, vt vulgus existimat : sed esse opus maxima diligentia, si rectè ac pro votis est succesſura : habet quippe præter cætera, hoc annexum incommodũ, vt sæpius expurgatio frustretur. Quod quidem ob defectum præparationis corporis vt plurimùm eueniet; quàm, fluida nostri corporis substantia reddita, fieri auctor est Hipp. dum ad purgationẽ, fluida facere corpora præcepit, dicens, ὁτάν καθαίρῃν δεῖ, ἕυεφα ποιεῖν σώματα. Et quia minus bene cognita corporis natura, haud poterit exacta quantitatis de medicamento purgatorio, haberi notitia.

CAP. III.

QVandoque verò alia purgat, quàm quæ purgare ſolet.

COMMENTARIVS.

CONSVEVIT medicamentum expurgans alios humores educere ab his quos natum est trahere: non quòd certam non habeat potestatem hos aut illos peculiarius eligere; id enim multis demonstrationibus, Galen. Hipp. Auic. ac reliqui clarissimi medici vituperauerunt, dũ καθαρσιν κατ' ἐξωχὴν dictam, ad eum modum definiunt: Est euacuatio vniuersalis, quæ certum quendam humorem euacuat, vti nos latissimè lib. De purgatione ſumus interpretati. Sed quia ſuperexpurgat alios ab his quos debet, Græc. ὑπερκάθαρσιν: quod sanè fit, quando excedenti quantitate largitur, quæ vehementius ac ferunt vires, corpora rodens, pariter ac adaperiens, eousque ea debilitat, vt quidquid vel familiare continuerint, libenter ire permittant : alia quoque ratione minimè familiares succos interdum expurgat, vtpotè cùm minus gnauiter medicus humorum redundantiam curauit dignoscere: tunc enim cõiectura leuissima deceptus, potuit exhibere bilis vacuatorium medicamentum, quæ cùm haudquaquam subsit in corpore, aut quàm maximè sit necessaria, necessum est stimulétur vires ad aliorum expulsionem, qui maiori quidem sunt copia, sed minus existunt ex vsu. Quin & plerunq; fit, vt pharmaco

familiares ſucci non educantur, verùm longè diuerſi: ſiquidem qui vitioſi ſunt humores, erantq; ex profeſſo foràs educendi, impacti ſunt ſuo loco, ac fortaſſe συσεφὰς effecerunt, ſeu collectiones, ob quæ pharmaco trahenti nequeunt obtemperaſſe. Reliquum eſt igitur illos expeditius inaniri, quos vi pharmaci laceſſitæ vires ad manum habent, & expulſioni adſunt promptiores: ac proinde eiuſmodi vacuatio non fit per ſe à medicamento, ſed ex accidenti, hoc eſt, virium ipſarum ſtimulatione. Quemadmodum in ſuperexpurgationibus vſu venire, auctor eſt Galenus. Aliorum quippe ſententiam de ſuperexpurgatione, qui generaliori alia poteſtate, quàm arbitrantur, medicamentis omnibus ineſſe, illam fieri cenſent, taxaui perpetuò: nimirum illa quoque ad certos humores deberet eſſe limitata, nequaquam ad omnes, vt ſanguinis emiſſio.

Auerrous.

CAP. IIII.

ALiquando nimium purgat.

COMMENTARIVS.

QVI debitam quantitatem medicamenti purgantis non præbuit, in alterum incidat incommodorum oportet, nempe vt aut non purget, aut minus ſatis ob defectam quantitatem: atque hoc peccatum multò extat tolerabilius, inquienti Gal. ſecundo De compoſitione per particulas, peccatum infrà tolerabilius exiſtit. Nam quod minus integrè prima purgatione confeciſti, promptiſſimum eſt, abſoluere ſecunda, tertiáve. Alterũ verò eſt, multò plus iuſto vacuaſſe humorum, adaucta nimis medicamenti mole, & vltra vires corporis: quæ in tantum eſſe poteſt exaucta, vt nõ ſolùm familiares ſuccos, & quibus cum ſimilitudinem ſortitum eſt nimiam, alliciat exuberanter, verùm quoſcunque alios, & ad necem ipſam. Quamobrem hac in parte deliquiſſe, maximum exiſtit periculum; euidentiusq; adhuc demonſtratur, quàm temerè negligenterq; faciant, qui ſine ſapientiſſimorum virorum diſciplina, & ingenio præ cæteris ſingulari, de medicamenti purgatorij largitione

gitione conſultare præſumunt. Egregiè ſanè medicos omnes ad hanc doctrinam exhortari viſus eſt Hip. eo loco, quo nihil temerè eſſe faciendum voluit, nihilque negligenter: priori nimirum particula diſciplinis poſtulat eſſe cultum ingenium; ſecunda verò in eiſdem exercitatiſſimum eſſe, ne vnquam aut ignoratione decepti, aut experientia deſtituti, in profundiſſimum pelagus errorum ruere vrgeantur. Præcipuè illud in medicis exegiſſe intelligo Hippocratem: tum quòd timore ſit plena deliberatio omnis, quæ de vita hominis animatorum præſtantiſſimi diſſertat; tum etiam quòd ob ſubitam, ſimul & periculo plenam morborum inſultationem, è propinquo ſint petendæ ſuppetiæ; nec liceat lõgius progreſſum medicũ aliundè, quàm à ſeipſo, & penu quod in cerebro & mentis acie repoſuit documentorũ, auxilium expoſcere. Iureconſultis porrò diuinoq; ſermoni initiatis peritiſſimis viris, fas eſt per ocium, & conſultis chartis de re propoſita, quod opus eſt, excogitaſſe; nihilque illis aut ignorantiæ, aut imperitiæ imputari video, ſi rogati ſtatim nequidquam reſponderint, aut ad alium diem diſtulerint reſponſionem. A ſolis medicis contentiosè admodũ ſciſcitantur omnes docti pariter ac indocti, quiſnam ſit in præſenti lacerans morbus, quod ſit adhibendũ remedium: & demum quo tramite pergendum ſit, in ſubleuando morbo, quo aut ipſemet qui quærit, aut illi coniunctiſſimus premitur amicus. Non poteſt ſanè quiſquã è cõmentario eſſe perfectus medicus; intus habeat, quod petit, neceſſe eſt: ac ſi forte fortuna perierint vniuerſæ bibliothecæ, nullaq; maneat librorũ ſpes, per ſeipſum compos eſſe debet, & ad nouam artem condendam, & ad reliquos omnes edocendum. Quod an poſſint præſtare, qui magna profeſſi, in paucis tamẽ verſantur, de quibus Cicero, ipſi viderint: in medico verò, de quo Homerus auſus eſt ſolo pronuntiaſſe aureã hanc, encomiiq; more prolatã ſententiam, ἀνηρ ἰητρὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, hoc eſt, vir medicus qui pro multis aliis æſtimari debet, exactam adeò & prudentiæ, & intellectus expoſtulare videor cyclopediam, vt is ſit, qui facit, aut dicit, non muti libri.

1. Epid.

Lib. De legibus.

CAP. V.

ALiquando quæ debet, facit.

COMMENTARIVS.

OMNIBVS ritè rectéque cognitis, peritus medicus haud poterit non debitè præſcribere medicamentum genere conueniens cum vitioſis humoribus, debitam prætereà quantitatem: conſequenterque, quod maximè cupiebamus, iocundè admodum præſtabit quod optat, tempeſtiuéque faciet, quod è re nimirum eſt laborantium ipſorum. Eò maximè, vbi quis hanc tam peſtiferam miſcendorum medicamentorum conſuetudinem deſeruerit, quæ multis abhinc annis veluti imbibita penitus inſediſſe videtur in quamplurimorum mentibus: qui ſingulis quibuſque verbis gloriosè admodum, ſeſe practicantes medicinam iactant, quique nihil imperaſſe per ſchedulam putãt, niſi totum pharmacopolium euoluerint vnico ſyngrapho. Conſultius equidem eſſe perpetuò cenſui, ſimplici electario, aut medicina quod optat quis efficere; aut, ſi id non licet, ob variorum ſuccorum miſtionem, quàm pauciſſimis miſtis: hac quippe ratione, (vt lib. De ratione permiſcendi medicamenta ſcripſi) & turbulentam medicamentorum potionem cunctis gentibus nimis inuiſam fugies iocundiori medicamento alioqui potitus, atque illa duo incommoda, quæ ex diuerſorum medicamentorum miſcella proueniunt, (cuiuſmodi ſunt, diuerſo tempore facta purgatio, & quòd alterũ alterum perturbet poſterius agens) promptius ac certius euitabis.

CAP. VI.

QVare fieri non poteſt, vt quis medicamentis confiſus, ea temerè exhibeat.

COMMENTARIVS.

QVÒD ſi ita habet, quemadmodum diximus, haudquaquam

quam inconſideratè, de medicamenti purgantis ſorbitione agendum eſt; ſed opus eſt præmeditatione prius: quamobrem, furca caſtiganda eſſet barbitonſorum, mulierculaſumque plurium immanis audacia, qua tam facilè purgans medicamentum propinare conſueſcunt, vel in ipſis frequentiſſimis ciuitatibus,& vbi doctiſſimorum medicorum frequens eſt copia, quàm facilé potum aquæ aut vini concederent ſitibundo laboranti, ac fortaſſe multò confidentius. Cùm, vt diximus dudum, nihil temerè nihilque negligenter ſit committendum. Et quòd dolendum eſſe magis iudicauerim,eò deuentum eſt iam deſpectus diſciplinarum, & artis omnium præſtantiſſimæ medicinæ, vt quanquam certò conſtet areopagitis & cenſoribus reipublicæ, ignariſſimum eſſe quenquá ſcientiæ, duntaxatque habere experientiam à neſcio quo doctiſſimo viro per manus hominum in hunc vſque diem deriuatam: mox illi conceditur copia,& optio, vti ſemper quod libeat,illa potiantur,non ſine multorum hominum pernicie. Quis eſt,obſecro, tam fatuæ mentis, & animo tam ſtupido præditus, qui neſciat vnicum remedium, non poſſe diuerſis in temporibus morbi vnius, prodeſſe plurimùm: & eſtò id poſſit, in variis tamen corporibus, ætatibus, temporum conſtitutionibus, particulis corporis, par eſt diſcrepet eius effectus, & multùm diuerſa ſit,quàm facit, alteratio? Hæc dixerim, quoniam proximis hiſce diebus, quando principis Caroli, Philippi regis Hiſp. regum omnium chriſtianiſſimi, vnigeniti filij morbus, vniuerſam religionem timore percuſſit maximo, viſum eſt nonnullis, Maurum quendam nomine, apud Valentinos ſeu Conſentaneos commorantem, vocandum eſſe diligentiſſimè: perinde ac ſine illius ope deſperandum eſſet de ſalute,rurſum certiſſima foret de illa ſpectatio, ſi ille duobus illis medicamentis, altero quidem albo, altero verò nigro Principi mederetur. Sed heus, Maurus preſto mutatis equis adeſt, medetur vt aliàs ſolebat vlceri, magna cum omnium conſenſione, geſtientibusque patronis: ſed aut infortunio Hiſpaniæ, quo placuit diuino numini per eos dies

Chriſticolas omnes affligere, aut ignoratione chirurgi factum eſt, vt indies vulnus ingraueſceret magis, ac mortem, niſi cautum eſſet maturius, interminabatur iam. At qui muratis præſidiis medicorum regalium conſilio, & relegato chirurgo Mauro, cuncta in melius declinare cœperunt: ſubindeque methodicè acta re deinceps euidenter apparuit, quàm longè abſint indocti, à vera certaque curandi ratione. Non me latet ſanè, polychreſta Græcis dicta medicamenta, hoc eſt, ad multos vſus conducentia, multis affectionibus expedire, prodeſſeque plurimùm: cæterùm debere illa nonnihil à ſeipſis permutari, per alterius medicinæ miſtionem, conſtat perſpicuè, quæ de illis ſeorſum dicuntur, expendentibus. Quam quidem efficere, non quibuſlibet, licebit; ſed illis duntaxat, quorum munus fuit perpetuum, facultates medicamentorum explorare: ac deinde, pro varia corporum affectione, aut ſola vſurpare, aut cum aliis commiſta, prout expedire ipſi affectui conſtiterit.

CAP. VII.

NAm & cibos nos alentes, medicamenta eſſe putandum eſt, verùm minùs quàm illa: omnes etenim qui his rectè vtuntur in cibo, ſani ſunt; qui non rectè, ægrotant: qui verò modum excedunt, purgantur quidem velut à ſinceris medicamentis, verùm tardius ac minus quàm à ſinceris medicamentis. Clarum igitur eſt, quòd & hi medicamenta exiſtunt: at verò hi tardiores, qui & familiares nobis ſunt, & quotidie in corpus ingrediuntur, ſi temerè & negligenter exhibeantur, temerè homines turbant, & quodammodo morbos inducunt. Quin & ſinceros & acidos cibos ſi quis citra delectum ac inconſideratè exhibeat, nihil commodi perficient.

COM-

COMMENTARIVS.

CIBVS exacta ratione captus, nutrit ſolùm, nec vlla ratione medicamentariam vim eſt adeptum, cuius cauſa corpus à ſeipſo permutetur: in eo ſiquidem potiſſimum conſtituta eſt alimentorum natura, & definitio, Galeno enarratore, vt nata ſint augere ſubſtantiam corporis quod alitur; medicamentorum verò, contraria ratione; medicamentũ finitur, quod aptum eſt corpus permutare. Quod ſi in eadẽ re, vtraque cõuenerit definitio, quemadmodum in plurimis eorum quæ nobis vſu veniunt, contingit: medicamentum ſimul & cibus, erit proculdubiò nominanda. Quoq; plus nacta erit medicamẽtarię poteſtatis, tantò magis medicina quàm cibus erit: & è regione, quantò ſubſtantiam noſtri corporis augere ſit aptior, quàm à natiuis qualitatibus permutare, tantò amplius appellationem alimenti merebitur. Contingit inſuper, vt eadem res alimentum ſit, & non alimentum, ſimiliter & medicamentum, & non medicamentum, diuerſorum animalium comparatione: cicuta quippe ſturnos alit, hominem verò refrigerat ſummoperè, ac nonnunquam exaucta quantitate, ad necem vſque refrigerando perducit. Iam verò vt ad ea, quæ hoc loco tractantur, propius accedamus, pharmacum, de quo in præſenti diſputatur, purgatorium vacuatoriúmve ſubaudiendũ eſt, non ſimpliciter, vti libro De ſimplicibus accipitur, pro omni ſcilicet medicina: quod deinceps bifariam capitur. Nam aut pro eo quod per excellentiã eiuſmodi dicitur, quodq; familiari quadã vi, ſimiliumq; tractrice facultate ſuccos ad ſe trahit, ſiue per vomitũ illud efficiat, ſiue per aluum, aut minus propriè, pro his quæ quacũque ratione detergent, mundántve quod ſordidũ exiſtit, ſolet enunciari. In priori ſignificatione, vſurpatur in præſenti diſputatione, pharmaci nomenclatura: conſequenterque, quæ aut emolliendo aluum cient, cuiuſmodi caſſia nigra, manna, pruna, aut ex his condita electaria recenſentur, aut premendo vacuant, vt de mirabalanis, roſarum ſucco, traditur, nequaquam ad præſentem attinent ſpeculationem, cùm

Simpl. cap. 1

De alimento.

3. De ſimpl.

gal. 2. alim. cap. 22. datas tam generi amſſ

gal. 7. ab de foenug et. s. sant ceo ceo

cùm ea de illis ſolùm diſceptet, quæ tractrice facultate ſimilium ſuccorum pollent. Vtrunque genus inſinuaſſe videtur
1. Problem. Ariſt. cùm priora τῷ ποσῷ, hoc eſt, quantitate purgare veluti mel, & oleum voluit: poſteriora verò τῷ ποιῷ, id eſt, qualitate, quæ verè talia dici debent. Ab his tamen non proinde in vniuerſum abducenda eſt cibandi facultas, ſeu nutritoria, quæ alimento datur; quandoquidem non ſolùm Galeno, ſed & pleriſque aliis perquàm doctis viris perſuaſa ſit ſententia, quæ medicamentum operatione ſua fruſtratum, tranſire nonnunquam in alimentum corporis, libenter arbitratur. Hacque de cauſa præcipiunt in ea occaſione, ſanguinem ſecta vena minuere: credentes nimirum, medicamenti mutatione, illum fuiſſe adauctum plus iuſto. Dicet fortaſſe quiſpiam, hoc loco de omni genere purgantium medicinarum Hipp. egiſſe, quibus conceſſa ſit alendi vis. ſed mea ſententia, de ſola quantitate ſubducentibus ventrẽ, aut de cibis obſcuriſſimâ purgandi virtutẽ indeptis, meminiſſe cõperiet apertè, qui probè nouerit, medicamenta per excellentiam expurgantia, haudquaquam venire in vſum ciborum. Nimirum illa vel minima quantitate porrecta, corpus turbant, & multùm inaniunt: cùm eſculenta ipſa, neceſſariò maiori multo pondere largiantur, quibus purgatricem poteſtatẽ nunc vendicat Hipp. tametſi ciborum nomine de illis meminerit. Ableganda ergo meritò videtur barbarorum interpretatio, ſæpius in cõſultationibus repetita, quæ Hipp. ſimul & alios antiquos de ſolis efficaciſſimis catharticis ſcripſiſſe credunt ac peierãt: perinde ac de leuibus iſtis, quæque more eduliorum quotidie ingeruntur, nuſquam fecerint mentionem. Hîc nanque apertiſſimè profitetur illorũ maximus, cibos nos alentes, & qui aſſiduè deuorantur, medicamenta fieri corpus deturbantia, ac in morbum trahentia, ſi minus rectè vſurpati fuerint: quod neutiquâ eueniret, niſi de betis, mercurialibus, attriplicibus, caſſia nigra, maluis, ſimilibusque eſcis, nobisque vſitatiſſimis diſputaſſe nunc aſſeratur. Cauet itaque hac oratione Hipp. ne citra diligentẽ animaduerſionem, medicamentis verè purgatoriis

gatoriis vnquã vtamur, argumentatione à minori deſumpta. Quoniam ſi cibi medicamentarij negligenter, & excedenti menſura deglutiti, euidenter nobis officiunt, & nonnunquã aluũ mouent; equius multò id idem pertimeſcamus oportet, de incauta verè purgantium medicamentorũ oblatione. Manifeſtũ eſt autem ciborum plurimos, dum minùs cautè præbentur, corpus conturbare, ac interdum quæ integra ſanitate fruebantur corpora, nulliſq; ſcatebant humoribus, in morbos deducere: ſana quippe corpora, difficilè ferunt purgationes, vti lib. De purgat. narratũ eſt ampliſſimè, quòd auferatur tũc humorum commerita ſymmetria, citra quam nequit ſanitas conſiſtere. Haud ſecùs, ac acidæ ſinceræq; eſcæ, hoc eſt, quæ puriſſimos præ ſe ferunt ſapores, vt acris ſalſusq; eſt, ſi immodicè vorentur, corpus lædẽt: acres ſcilicet, calfacientes & ſiccantes, rodentes etiam partes intimas; acidæ verò neruoſas particulas necnon & frigidas ferientes, ac de reliquis qualitatem nactis inſignem, eadem addenda ratio eſt.

CAP. VIII.

OPortet igitur primùm bilioſis dare quod bilim purget, pituoſis quod pituitam, hydropicis quod aquam, atrabiliariis quod atram.

COMMENTARIVS.

VT ergo cautiſſimè vſu veniant purgantia medicamenta, nunquamq; reperiantur corporibus mortalium nocuiſſe præter medicorũ inſtitutionem, neceſſum eſt bilioſis quod bilim educat, exhibere; ac de cæteris conſimilem ſeruare methodum. Quod vt fiat egregiè, operæpretium eſt, humores eorumq; redundãtias apprimè cognouiſſe, propriis notis & characteribus, ac deinde commodo medicamento illos vacuare. Humores autem noſcemus aptè, vt doctiſſimè Hipp. lib. De humoribus demonſtrauit, primùm quidem ex rebus, quæ ſecundum naturam inſunt, temperamento (inquam) corporis, quod exploratur proprio, ætate ipſa; ſecundò, ab his quæ non ſecundum naturam, ſed exterius accedentibus deſumuntur,

tempore ſcilicet, regione, victus præcedentis conſuetudine, vitæ ſtudio, animiq; pathematis: tertiò, poſtremoque à rebus præter naturá inſultantibus, cuiuſmodi morbus exiſtit, cauſa eius, & ſymptomata, quę ipſum nõ ſecùs ac vmbra corpus, cõſequuntur, ſed præcipuè ex colore per corpus denuò floreſcenti, de quo dictum eſt, ſimilis color efflioreſcit humoribus peccantibus, niſi intrò recurrant. Quæ omnia, ſimulatque σύστοιχα, hoc eſt, eiuſdẽ coierint ordinis, & nata ſint bilim vnà creare, bilis ſolius redundãtem exceſſum colligemus: rurſum ſi pituitam dominari intelligamus, illius copiam ſubeſſe ſuſpicantes, accingemur protinus ad propinandum medicamentum, quod illi è directo reſpondeat, eandemq; omninò contemplationem habendam eſſe cenſemus, ſiue humorem melanchymicum ſtudeamus depellere, ſiue ſeroſos ſuccos, ſiue ex pluribus collectam copiam. Exemplo vnico res ipſa fiet illuſtris. Si Socrates natura ipſa bilioſus extiterit, ætatisq; fuerit iuuenilis, æſtatis tempore, regione calida, victu calido vſus, curis & ſolicitudinibus deditus, per ſaxa ignesque, vt Thuſca lingua dici ſolet, *lorò beni acquiſtano*, morbus item bilioſus appareat ſuis indiciis, ſiti nempe notatu digna, excrementis bilioſis, vigilia, pulſu & vrina calorem ſiccum præ ſe ferentibus, haud dubiè cauſa morbifica cenſenda eſt bilis, ad eiusque vacuationem præſcribendum eſt pharmacũ cholagogum nuncupatum. E conuerſo, ſi præfatę ſignorũ concurſiones, pituitam excellere palàm oſtenderint, phlegmagogum: ſicuti ſi melanchymicos, melanogogum, & quod ferum efferat, ὀρρόγογον, offeremus. Quòd ſi miſtos humores eſſe crediderimus, ob id quòd ſigna cõfuſa videantur, & diuerſos humores oſtendentia, ſine cunctatione componi debet medicamentũ, eiuſmodi ſuccorum colluuioni rectà reſpondens: de quorũ componendorum ratione ac methodo ſatis ad plenum egiſſe videor lib. De purgatione, & methodo componendi vſitata medicis remedia, iam dudum in publicum editis. Ideoq; curſim iſthæc perſtringimus, ne videamur eadẽ ſæpius repetere fruſtrà. Non prætermittam tamen breuiſſimo ſaltem cõpendio, humo-

casus

humorum numerum memoraſſe, ſimiliter & naturas: quò teneat in procinctu tyrunculus cauſas morborum omnes, & proprias notas. Humores autem quatuor ſunt genere, bilis primùm colore pallido deſignata, quæ ſi ex ardenti calore flagrauerit, flaui redditur coloris, deinde viridis, ac poſtremò nigri, perpetuo tamen temperamento calido & ſicco conſtat, plus minúſve. pituita colore albo figuratur ſemper antiquis auctoribus, à quo paululũ deſciſcit in liuidum, dum nimium refrigeratur, nunquam migrat in coloré nigrũ, qui ſolùm ex vſtione bilis, aut fæcis melanchymicæ, gigni, mea ſententia, poteſt. Cæterùm tametſi pituitoſos ſuccos albo colore perpetuò depigerint ſcriptores, quo nomine pariter & colore, crudos ſuccos ſubaudire conſueuerunt: veruntamen ego nunquam dubitaui, quin crudi ſaltem ſucci, virides & alterius coloris adpareant, pro natura ciborum, ex quibus comparantur. Conſentaneum profectò maximè eſt, vt crudus ex betis, lactucis, maluis genitus humor in ventriculo, colorem referat eorum: ſicut qui ex lacte ſciſſili dimanat, albus egreditur, & aliorum ad portionem. Eſt etiam illud in propatulo, pleriſque hominibus oleribus, fructibuſq; aſſiduò veſcentibus, nonnũquam accidere vomitum viridium ſuccorũ: cùm eo tempore nihil triſte ſentiant, ſed potius toleranter valde depulſionem ſuſtineant. In ipſis præterea ægrotantibus perſæpè conſpexi, aut ſecta vena, aut vomitu virides admodum excretos eſſe humores: in quibus ſanè nullam indicationem deprehendas arſionis, aut alterius cauſæ vrentis, quin potius cuncta pituitoſam referre naturam conſpirant. Idq; theorematis medicinalibus congruere, nemo non aſſentietur vltrò, qui ſcitis & inſtitutis eis edoctus probè nouerit, non ſolùm humores corporis, ſed & membra ipſa pati mutuò & agere cum alimẽtis: imò verò vt alibi ſum profeſſus, ſi vſpiam ſibi conſentire videtur Galenus, in ea maximè re & opinione perſtat, quæ omnia contraria quantulocunque diſtent ad ſe inuicem interuallo, inter ſe agere & pati certò decernit. Quod ſi ita eſt, non ſolùm in ventriculo, vbi haudquaquam penitus fuit mutatus

cibus, ſed & in venis vlterioribus, maneat in humoribus color quadam ex parte neceſſe eſt: in eo præſertim corpore, in quo nimius præceſſit olerũ & fructuũ id genus vſus, & vires paulò ſint ad integrè vincendum imbecilliores. Melanchymia, ſeu niger humor, nunc tetro, nunc nigro proprius capto colore tinctus excernitur: ille quidem per vſtionem genitus; hic verò fæcum ſubſidentium in ſuis liquoribus inſtar ſubtus conſidet. Quos vt vnico complectamur vocabulo, non atrabiliarios cum Galeno vocamus, quod nomine illo bilis ſemper ſit inuoluta, ſed melanchymicos, hoc eſt, ſuccos nigros; quò ſanè tam ſplendenti nigredine coloratos humores ſignificamus, tetros aliter, quàm eos qui obſcuriori colore denigrantur. Quartus humor ruber exiſtit, ſanguini perpetuò tributus, cuius differentias nuſpiam aliàs reperi, quàm ſubrubrum, rubrum, & impensè rubrum: apud Galenum dixerim; in Auicenna ſiquidem & Actuario, innumerabiles inuenies colores, ab ipſis rebus, variisque exemplis tranſlatos, quorum ſilua, cùm nihil vtile doceat, ſilentio extat nunc prætereunda: ſatis de illis libello De vrinis effecimus. Serum ſolet Hipp. libello De morbis, inter cauſas morbificas connumerare crebrius; de quo tamen cœtus medicorum inter humores meminiſſe non ſolet: id, vt reor, prudenter feciſſe illũ exiſtimo, atque eum ſecutum Galenum, propterea quòd, quanquam ſub cuiuſque humoris ſpecie ſerum quoque cõprehendatur; longè tamen alia conſideratione, in eo vacuando vtimur, quẽ ſine vlla prægreſſa præparatione, in hydropicis affectionibus, quàm citiſſimè conamur extrudere.

CAP. IX.

SI verò extra hæc purgaueris, quæ quidem purgari debent, non purgabis; quæ verò non debent, ea vacuabis.

COMMENTARIVS.

NON ſolum alterum pro altero vacuabit humorem, qui præfatas methodos eligendi pharmacum, & noſcendi ſuccos vitioſos neglexerit: ſed & multa alia mala pariet, quorũ nonnullis

nullis abſque admiratione ſuccedere poteſt mors, vel grauiſſima alioqui ægritudo. Demus ſanè pituitam demi prorſus, peccante bile, in corporeque manenti, nunquid bilis nõ fiet effrenatior, vrgebit ſua immoderantia furioſius, ac fortè recuperato impetu, in caput, aut aliam ex digniſſimis particulis irrumpet, aut ſi quietius ob aliquam cauſam agere cogatur, frigido ac humido temperamento, deſtituto corpore, in ſeipſa excandeſcet, ac maximã excitabit flammam? Notiora ſunt hæc, quàm vt debeant explicari verboſius, clariſſimumq; eſt, quæ ſequantur pathemata, vbi bilis innoxia vacuata ſit, manenti pituitę redundanti copia: quippe, refrigerato ſtatim corpore, ob id quòd moderato bilis calore fuerit orbatum, in torpores, epilepſias, apoplexiam, caron, catalepſim, concidat exiſtit neceſſarium; aut ſi non his, frigidis ſaltem corripietur, diuturniſſimoque tempore medicandis ægritudinibus.

CAP. X.

QVare in vtramque partem peccabit.

COMMENTARIVS.

QVI alterum pro altero humorem euacuat, bifariam deliquiſſe depræhenditur: nam & vitioſum relinquit in corpore, & inculpatum è corpore pellit, quare in vtranque partem peccet, per ſe ſcilicet, qui ſic medicatur. Ex accidenti nanque, infinita propemodum nocumenta pullulabunt, de quorum nonnullis, patuerunt nuper exempla: nec erit difficilè, alia comminiſci, ſecundũ diuerſorum ſuccorum naturas, & exceſſus, quos ſortirentur è veſtigio, quãdo aut deſererentur noxij, aut vacuarentur inculpati.

CAP. XI.

QVum itaque alicui dare voles pharmacum, ſiue deorſum ſiue ſurſum purgãs, interrogare oportet ipſum, an prius biberit medicamentum, & an aluus ex deorſum purgantibus cita ſit, & celeriter obediat, aut dura.

COMMENTARIVS.

HAVD ſatis eſt purgantis medicamenti cognouiſſe naturam, & humoris ideam, qui vacuatione videtur egere, ſed præter id opus eſt maximè quantitatem teneamus exactam, quæ neque noceat excedendo, neque inanem reddat operam purgationis, ob pauciorem iuſto quantitatem. Debita nimirum rerum omnium diſpenſatio, οἰκονομίαν Græci dicunt, quibus vita ſanitasque humani corporis aut cuſtoditur incolumis, aut reſtituitur amiſſa, indebita eorũ quantitate & qualitate inuenienda potiſſimùm conſtituitur: adeò vt nihil crediderint eſſe opus occaſione ſeu tempore, ſi priora illa duo, prudentiſſimè appenſa fuerint, exploratáque. Qualitas equidem ſeu idea medicamenti purgantis, vſu experientiáque maiorum noſtrorum comprobata iam, debet à nobis vſurpari: hocque inuentum, ſi quod aliud, in maiores referendum eſt maximè, tametſi non quorumcunque, ſed eorum magis, qui regione, & vitæ moribus ſimiliores nobis ſunt, probandæ ſint periclitationes. Hinc factum puta, vt medicamenta Meſſues, Auerroi, Auicennæ, Zoar, & horum aſſeclarum, pluris habita ſint noſtro æuo: vtpotè quæ in noſtris ferè regionibus comprobata ſint longo vſu, & à nobis ipſis accepta, parem fidem in amicis, vxoribus, filiisque, poſtremoque in nobis ipſis obtinuerint. Quòd ſi cui obtigerit, inueniſſe remediũ, quod quidem ſtrenuè corpora mortalium expurgaret, dummodo illud experiatur prius in ſuis, æquo animo amplectemur: quẽadmodum nõ damnarem radiculæ illius vſum, quam paſſim ab Indis occidentalibus aſportari, creberrimoque eſſe in vſu apud Hiſpalenſes audio, machuacam dicitur, cuius drachmæ pondo, in vino datũ, mediocriter corpus à bilioſis pituitoſisq; ſuccis emundat. Quantitas medicamenti comprobanda quoque eſt experimento, ſicut & ipſius cõditio expurgatrix: ad cuius menſurationem, coniecturis multis eſt vtendũ, quarum quædam inſinuatæ ſunt iam pridem, illasque ex rerum non naturalium, ſecundum naturam, & præter naturam, profi-

3. Tech. 4. prim.

Lib. De attenuanti victu.

proficiſci in noſtris cõment. ſæpius diximus. Sed alia ratione conſtabit, in vſitandis medicinis, quantitas, ſi conſultis chartis quæ doſes auctoritate ſcriptorum comprobatas continẽt, eas planè in temperatis corporibus exerceant: deinde aut augeant, aut minuant, prout corpus à medio in alterutram partem declinarit. Neque hac de re tradi poteſt certa ſententia, quòd in immenſum euarient diſtemperatorum naturæ, quorum ſingulis ſuum pharmacum & propria quantitate menſuratum, debet vendicari: quamobrem, vt aliàs monui, practica opera, quæ ſine hac probabili limitatione, cunctis laborantibus indiſcriminatim vnicum præſcribunt præſidium vacuatorium, plurimùm afferunt periculi reip. pernicioſiſſimaque ſunt. Eſt & alia, quæ non minoris extat facienda coniectura, propterea quod ceu digito ipſo cõmonſtrat, quantum medicinæ ſit diſpenſandum: quæ tametſi præſtoletur fructũ operantis auxilij, hacque de cauſa in periculo grauiori verſari intereà laborantes patiatur, verùm cùm non ſit alia præſtantior certitudo, ſatis ſit, ſi multo anteà tempore fugam diſcriminis præuenire oſtenderit. Hæc autem eſt, quæ ab his quæ vacuationem ipſam comitantur, tolerantia ſcilicet, aut difficultate deſumitur: quæ ſanè, nimis præſentem eſſe medicum hortatur, egregieque admodum poſtulat eſſe attentum, vti perſpecta in peius detrimentum laborantis inclinatione, dexterrimè inſtantem læſionem propulſet. De qua re doctiſſimè Hipp. lib. περὶ χυμῶν, ſcribit inquiens, ὅσα περιῤῥέοι, εὐφορίην καθορέων δ' ἰσφορίην τε φρὶν κίνδυνον ἴσχειν. hoc eſt, in quibuſcunq; circunfluentibus tolerãtia & difficultas extant ſpectãda, antequã periculũ ingruat. Inde Galenus lib. cõtra Eraſiſtratum, in certam omninò putauit de quantitate iudicationem, cui laborantis tolerãtia, poſt operationem ipſam non ſubſcripſerit: quod aphoriſmo illo, excretiones nõ ſunt multitudine æſtimandæ, & ſecundo eiuſdem particulæ, euidẽter confirmatur, quibus in locis perpetuas nexuit notas exacti iudicij, tolerantiam, & difficultatem. Verùm enimuerò, relictis aliis, aut curſim tactis, quæ longiſſimũ ſermonem poſtulare

lare videbãtur, à ſola indiuidua cuiuſque proprietate ἰδιοσυγκρασίην Græci vocant, in ea oratione quæ in manibus eſt, vtiliſſimam capit coniecturam : ſine qua, nulli dubium, quin reliquæ nihil prorſus contulerint. Hæc autem proprietas, vndecunque illa parta eſſe credatur, (ſiue ex regionis conſuetudine, quemadmodum de Perſea arbore ſcriptum eſt, ſiue alia ſecreta ratione,) ſolis experimentis extat aperienda, ſcrutandáve: qua dempta, nulla ratione alia exacta quàm poſuimus, de rebus cognitio haberi poterit, de qua re in Theoremate practico, quod lib. De febribus exarauimus, abundè diſſeruimus. Sed illud diſertiſſimè docuit Hipp. dum libello De flatibus ad hunc modum recenſuit : περὶ δὲ τῶν ἀφανεςάτων καὶ χαλεποτάτων νοσημάτων, δόξῃ μᾶλλον, ἢ τέχνῃ κρίνεται, διαφέρει δὲ ἐν αὐτέοισι σωλεῖσον ἢ πείρη ἢ ἀσωφρίης. hoc eſt, de occultiſſimis difficillimisque morbis, opinione magis quàm arte fit iudicium: ob idq; longè differunt, experti ab inexpertis. Quanquam verius de ea re Galenus admonuerit, lib. de Antidotis: vbi mellis naturam, via illa regia quæ à ſaporibus aliisq; ſenſibilibus accipitur, neglecta, citra experientiam non probat, pro condienda theriaca. Rhodium quippe & cnidium mel, temporis progreſſione aceſcit, idque ſolo vſu exercitationis conſtat: ideoq; inutile ipſum retur, ad compoſitionem theriacæ, tametſi alias notas probati mellis fuerit nactũ. Cæterùm experimenta per te ipſum capi haudquaquam perpetuò poſſunt, de ſingulari cuiuſque proprietate, propterea quòd haud ſemper datur cum quibuſque hominibus conuerſari: ſupereſt igitur, illam aucupari certemus, per interrogationem cum Hippocrate, quę de antecedentium vſu rogitans, ſenſim naturam ægrotantis perdiſcat, & quanam ratione erga purgantis medicamenti potum, aut conſimilium, ſoleat ſe habere. Daturus itaque ignoto homini pharmacum ſiue per vomitum, ſiue per aluum vacuaturum, rogare oportet, num aliquando biberit illud necne : qui ſi reſponderit, bene quidem anteà temporis recepiſſe medicamentum eiuſmodi: rogandus eſt iterum an obediuerit ſatis & pro votis, an potius obſtite-

obſtiterit purgationi aluus. Quòd ſi nimis ſolutu facilem eſſe conceſſerit, mollioribus agendum eſt medicinis, quàm in corpore temperato: verbi gratia; Si electarij roſacei temperatis corporibus, ſemiunciam largiãtur, tres drachmas plus minúſve, propoſito nunc corpori donabunt, & de cæteris eâdem ratione. Si verò nihil excreuiſſe, aut perquàm parum annuerit, augendum eſt pondus medicamenti dicti, ſupra id quod temperato porrigitur; dabuntur ſcilicet, quinque drachmæ plus minúſve iuxta captam cõiecturam de alui duritie. Eadẽ methodo in ciẽdo vomitu vtemur. At ſi nunquam expurgatus fuerit homo, ſiue quia hactenus integra ſanitate perfunctus fuerit, ſiue quia facilè morbos ſuperauerit, & abſque ope medicinali, alia via pergendũ videtur: interrogabimus namque, vt ſe ſoleat aluus habere, ſi quando eſculenta aluum cientia eſitauerit, cuiuſmodi beta eſt, malua, lactuca, pruna, & his ſimilia: Et an ſoleat ſuſtinere alui fluxum ex leuibus occaſionibus, quales ſunt, obſtructio ſeu ventriculi repletio inſueta, aut humectatio ventris qualiſcunque, & vndecunq; illa acceſſerit. Si namq; his de cauſis promptè ſatis obtemperaſſe conſueuerit venter, parcius expurgandum eſt iſtiuſmodi corpus, & ad temperatũ pondo citeriori. Si verò rariſſimè dixerit corpus ſibi conturbari, ingeſtis, quas memorauimus, eſcis, aut nunquam fortioribus agemus, & maiori quantitate, temperati corporis comparatione. Quibus diſtinctionibus habitis, ſatis lucis obtinebunt, quæ iam addit Hipp.

CAPVT DVODECIMVM.

ET ſi citam aluum ac facilem ſolutu eſſe dixerit, mollioribus & paucioribus medicamentis opus habet: Si verò dura fuerit, fortioribus indiget: Idem modus in ſurſum purgantibus requiritur. At ſi nunquam neque ſurſum neque deorſum ſe purgatum eſſe dixerit, neque medicamentum bibiſſe: cognoſcere oportet, an ad ea quæ ſanus in corpus ingeſſit, aluus deorſum facilis ſolutu fuerit, aut ſurſum verſus

appoſita ad vomitionem, & an ad repletionem aliquam alui profluuium ipſi ſucceſſerit, hæc omnia interrogare oportet, quo recte conſulere poßis.

COMMENTARIVS.

SÆPIVS vtendum eſt interrogatione medicis, dum animus eſt ad amuſſim quę opus eſt facto perſequi, ita ſiquidem libro prognoſticorum fecit Hip. Sed ea præcipuè vtẽdum videtur, non ſolùm ad deprehenſionem cauſarum quæ præterierunt, de quibus debilis admodum notitia haberi valet, ſed & ad aſſecutionem occultæ corporum proprietatis, quæ ſolis ipſis potuit eſſe nota. Quæ omnia reſpiciens prudentiſſimus Hipp. perconctari vult medicũ, ex quibus venari queat rei quam quæritat cognitionem, & quàm ſit illud neceſſarium, perſæpe monſtrauit prægreſſis diſtinctionibus, & diuina ſua auctoritate qua plurimum ſemper valuit; neq; his contentus, minatoriam tandem concluſionẽ colligens, quę ignominiam medicorum in medium proponit, ſi res minus proſperè ſucceſſerit, orationem claudit dicens.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

TVrpis enim calamitas eſt, medicamento dato purganti, hominem occidere.

COMMENTARIVS.

SED, proh dolor, eò calamitatis & miſerandæ conditionis deuecta eſt noſtris temporibus res medicinalis, vt iam nõ ampliùs terreat ignominiæ dedecus quenquam, nec pudeat vllum, ſi homines interierint, mox à purgantis medicamenti ſorbitione: cuius impudentiæ cauſas, liberum eſſet mihi nũc recenſere omnes, niſi pertimeſcerem, quàm aliorſum atque ego facerem, tuliſſent auditores, quæ ſincero animo, & in remp. ſummoperè propẽſo, forent à me piè ſatis pronunciata. Sed tamen nonnullas recenſebo, primumq; illa ſcribenda videtur, quæ Hipp. libro De lege, in ipſo limine ſcripta eſt. Nempe, cùm mortales propè omnes certò teneant, impune ſibi licere experimẽta per mortes agere, nullaq; ſit pœna ſtabilita

bilita legum decretis,à debito ipſo deerrantibus fit protinus, vti lucri cupiditate commoti, quæſtum pluris faciant, quàm hominum ſalutem. Et quanquam, ius ipſum, & recta faciendorum vetandorumq; ratio, in natura poſita eſſe oſtendatur Ciceroni, eaq; ratione quiſq; ab hoc officio procul eſſet diſceſſurus, propriæ conſcientiæ de ignorantia ſtimulo: verùtamen, cùm praui homines ſola pœna coerceantur, ſi quando coercentur, vbi illa mulctari non potuerint, teſtimonio deficienti,& ſuppliciorum ſublato metu, pro voluntatis impetu, ferentur in lucrum, ac ruent: vnde fieri maximè arbitror, vti barbitonſores fermè omnes, vmbiliſecæ, & mulierculariū capularium, ſimiliter & circunforaneorū quorundam perditiſſimum genus, ſpe lucri ducti, nulla verò pœna deterriti, audeant omnium morborum ſpondere curationem, prefixis ad poſtem ſchedulis: & quod admirationem inducit ſtupēdam, ſemel aut bis arridēti illis eufortunio, nunquam deeſt patrocinium, quo liceat poſtea in tota reip. amplitudine periculū facere ſuæ ignorantiæ. Cumq; eiuſmodi imperitū hominum genus, nulla alia pœna maneret præterquā ignominiæ, illam lucro poſthabentes, ex induſtria eius perſonam videntur induere; quemadmodum in tragœdijs facere conſueuerunt introductæ perſonæ. Ex eadem licentiæ radice, naſcitur, credite mihi, vt omnium artium & ſcientiarum clariſſima medicina, viliſſima habeatur vulgò. quid enim faciet populus alioqui rudiſſimus, dum iſtiuſmodi hominum indoctum genus in pretio haberi cōſpectat, & bis millia errorum committere licenter? Omnes certè, qui hanc artem exercere iudicātur, pari lance æſtimabit: ſiquidem omnes eiſdem penè remedijs, eadem probatione frui palàm cernit. Cur non lugent, quibus cordi eſt ſapere? Sartores, veterinarios, publicè caſtigari, & pœna mulctari pro delicti magnitudine: hos verò artis præſtantiſſimæ ignaros penitus, probari potius, quòd gratis medeantur, & abiectiſſimè ſubſeruiant magnatibus? hic eſt profectò eorum mos, & callidiſſimum ſtudium, vti principio ſuadeant, pietate magis id efficere, quàm quærendarum opum Lib. de legibus.

gratia: Deinceps verò, dum vident plebeculam, ſanctimoniæ fortaſſe prætextu, in ſuam opinionem deflexiſſe, ſcitè ſatis nummos extorquere contendunt, ex qualibet induſtria, diligentia, dicentes, Qui altari ſeruit, de altari viuat.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

QVicunque igitur à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiſerit febris: ſin minus, ſaltem non intra quatuordecim dies.

COMMENTARIVS.

HAVD ſatis eſt ad debitum vſum medicamentorum catharticorum exploraſſe ideam quantitatemq; eorundē, niſi conuenienti occaſione ſeu tempore illa oblata ſint: idcircoq; de occaſione crebra valde facta eſt mentio, apud Hippoc. in aphoriſmis, ſed multo egregiùs ſexto Epid. parte ſecunda, com. trigeſimo ſeptimo, dum hæc ſcribit. Tranſitus apertos eſſe oportet, veluti nares, & alia quibus opus eſt, & vt conuenit, & qualia, & qua parte, & quādo, & quantum opus eſt; velut ſudores, & alia ſanè omnia. Sic Græcè, *τὰς ἐφόδους ἀναστομοῦσθαι ὅιον ῥῖνας ἢ τὰς ἄλλας ὧν δεῖ, ἢ ὡς δεῖ, ἢ ᾗ δεῖ, ἢ ὅπη, ἢ ὅτε ἢ ὅσου δεῖ, ὅιον ὑδρώσεως ἢ τὰ ἄλλα δὴ πάντα.* Simulatq; ideam quātitatemq; excernendorum recrementorū definiuit, mox de tempore nexuit contemplationem; ſicut & de loco per quem, cuius in loco qui in manibus eſt, neutiquā meminiſſe videtur, tametſi ea contemplatio non minoris ſit pretij. Multa tamen tacuiſſe conſueuit Hipp. breuitatis amantiſſimus, ſupplendusq; exiſtit ex alijs locis, in quibus quę hic tacentur, exprimuntur; veluti alio in loco ſimulantur interdum, quæ hoc in loco aut alibi ſummè commendantur. De loco itaque dictum eſt Aph. illo, qua repūt humores eò per conuenientē regionem ducere, & ſecunda parte ſexti, Epi. com. illo, reuellere ſi quo non oportet vergant, ſi quo conuenit, aperire. Ex quibus locis, dum vacuare humores ſtudueris, illos curato inanire per eam regionem, per quam repere cœperunt, aut per vicinio-

viciniorem, quæ esse potest; si verò retro vertere, ad contrariũ sunt diligenter amandandi. Sed reuertamur ad pensum de tempore, quod insinuasse visus est auctor, dum in febribus vehementibus differt purgationem donec febris remiserit, aut quatuordecimus pręterierit dies, oblitus fortasse illius pręceptionis, quæ medicari in valdè acutis si expedit, eadẽ die, tardare etenim in talibus malum, admonuit, nec non illius quæ oportunissimum tempus præsidiorum putat, morbi principium, inchoantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue; circa principia enim & fines omnia sunt imbecilliora, cùm verò vigescunt, fortiora. Quæ quidẽ expositore Galeno, li. de optima secta ad Thrasybulum, luce ipsa clarius prodũt, principio morbi, antequam vires successu temporis collabãtur, & morbus succrescat, debere humores febris aut alterius morbi auctores, extra corpus extrudi, quàm diligentissimè. Transacto porrò principio, vires tum morbi violẽtia, tum necessaria ciborũ parsimonia, diminutæ, neutiquã sustinere valent remediorũ vim: morbus quoq; ipse indies exauctus magnitudine, multò magis exasperabitur medelis, quàm si quo tempore debilis erat, profligaretur. Accedit principiũ morbi esse tempus, in quo si quid vrget κατ' ἔξοχην Græc. aut purgare, aut secta vena vacuare, præpropere iubemur. Vrgere autem morbos quis nescit, cùm aut propria magnitudine, aut ratione præstantis partis, aut egregiæ actionis & ad vitam necessariæ, periculum minãtur? profectò hac sola ratione Galenus iudicauit nullum præceptũ artis medicinalis esse inuiolabile, quãdo instat periculũ vitæ, quod in magnis morbis solum subesse, Celsus auctor est, lib. 5. Scopus præterea purgãdi corporis, nulla ratione à numero dierũ capiendus est, auctore Gal. 4. acut. 76. Sed aut à coctione, aut in ipso principio statim, antequam in aliquo loco firmati sint humores, sic Græc. ἄλλα ἅπερ ὑποκράτης εἶπεν, ἤτοι κατὰ τὴν ἀρχὴν εὐθέως δρὰν σπριχθήναι τοὺς χυμοὺς κέλευε φαρμακεύειν, ἢ ὕστερον ὅταν πεφθῶσιν. quorum verborũ sentẽtia est quam nunc exposuimus. Ergo cùm morbus est magnus, seu febris fortis, primò vacuandi sunt

Cels. lib. 2. idem.

De temporibus morbi.

UNIVERSIDAD

morbifici ſucci, antequam decumbant in particulam periculo plenam: præſertim cùm eo tempore minùs à virtute cõtineantur, imò potius eam tũc ſentimus onuſtam nimis, & ceu nauſeabundã, quod ex magnis & paruis, ſeu ex horũ inæqualitate conſtantibus pulſationibus, quo ſigno nihil pulchrius ac certius vires onere feſſas eſſe oſtendit, manifeſtatur. Quod ſi ita habet, cur id non fiet principio morbi febrilis, ſua vehementia grauantis vires? ſiquidem minuta materia, minuitur obſtructio, conſequenterq; putredo ipſa, quę coctionem inhibet, quantò pollet potentius. Sed de his alibi fecimus ſatis: in præſenti non potuimus non demõſtrare breuiſſimè eandem ſententiam, oratione Hippocratica cõpulſi; quæ vetat in vniuerſum purgationem in vehementibus febribus, quandiu viguerint, ac nõdum remiſerint. Quoniam verò Celſus, atque Hipp. rarò admiſerunt purgationes in acutis, dicendum exiſtimo, illos quidem nõ omnino vetuiſſe illas, præſertim vrgenti periculo: ſed quod tanquam rariſſimum ſit, dimiſerint; id verò quod frequentius eſt agendum, fuerint interpretati. Sic enim ſcriptum eſt, in acutis rarò & inter initia medicamento purganti vti. Præterea libello περὶ χυμῶν, in acutis prohibet integram vacuationem, haud quaquam eam ſimpliciter exibilauit inquiens: δεῖ δ' ἐν ὀλιγάκις ἐν ὀξέσι πολλὰ ἄγειν, τοῖσι κοπιώδεσι τὸ σύμπαν, hoc eſt, oportet rarò in acutis multos educere humores, in laſſitudinarijs autem omnes. In qua ſententia, apertiſſimè docuit, turgentes humores, hoc eſt, huc atque illuc agitatos, & laſſitudinem inferentes, vniuerſim fore vacuandos, vti Galenus, 1. aph. 24. declarauit. Eos verò, qui abſq; turgentia magnum conſtituunt morbum, non quidem omnes, ſed paucos, quò minorem factam cauſarum molem, natura vincat promptius ac celerius, 2. aphor. 29. Hoc igitur pacto enarrandus eſt Hipp. aut dicendũ arbitrarer, alterius eſſe auctoris diſciplinã, quæ minimè cum Hippocraticis dogmatibus conueniat, quæq; vacuandũ eſſe velit coctione præmiſſa: ſecũdum illud, cocta medicari oportet & mouere nõ cruda. Qui enim morbi remiſſionem ſpectare iuſſit, hoc eſt, declinatio-

clinationem, cocta vult esse excrementa, & transactum esse iam vigorem: coctis quippè succis, non cõtingit, aut inflãmationem esse in vigore, aut morbum aliquẽpiam. Adiecit etiã, aut saltem, nõ nisi prẽteritis quatuordecim diebus, ea vt puto ratione, quæ acutos morbos in quatuordecim diebus terminari consentit: quem terminum vbi fuerint transgressi, haud quaquam vigebunt tanta vehementia, quæ præpediat purgãtium medicamentorum conuenientẽ potionem. Sed audiamus, quam adhibuerit præfatæ conclusionis probationem.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

CArnes enim ipsorum & ventres, cùm calidi sint, medicamentum assumunt, & nihil depurgantur, febrisq; maior fit, color euertitur, & morbi speciem referunt. Commota etenim bile, & non purgata, non vult sorbere æger, neque bibere, sed omnia abominatur, & plerunque perit.

COMMENTARIVS.

ABSQVE dubitatione, febris sua ratione purgantiũ medicamentorum respuit largitionem: cùm quod illorum natura seu temperamentum calidum sit, nihilq; ob id calidam affectionem iuuare per se credantur; tum etiã, quia symptomata quæ ab illis in febrienti producuntur, timorem incutere soleant non aspernandum, vtilitatemq; nullã expurgatione redarguant: verbi gratia; Ex calidis medicinis membrorũ calor accenditur amplius, augetur bilis copia per incensionẽ, quæ per corpus effusa, icterũ procreat, proindeq; color euertitur in pallidum totius corporis: nihil item purgatur interdũ viribus pharmaci per corpus dispersis, à calore nimio, ad eundem modum quo caniculæ tempore perperã succedunt purgationes: quę cùm ita habeãt, minimè mirum est, si regurgitanti bile, ventriculus lacessatur, & inappetentiam sustineat, sitim toleret, sed diuersa ratione, illam quidem ob id quòd fames frigido potius concilietur; hanc verò ob amaritudinẽ ori illatam. tanta demum esse potest corporis perturbatio, maximè si temerè tentata sit expurgatio, vt viribus concidentibus

æger

æger pereat. Hæc quidem fieri poſſunt, quemadmodũ paſſim videmus vſu venire, aut quia excelleti quantitate porrectum fuerit pharmacum, aut rurſum in corpore parum idoneo ad futuram vacuationem: in quibus enim aut inflammatio eſt verè accepta, aut obſtructio primarum venarum, dictu incredibilis ſequitur agitatio humorum, incenſio corporis, & augmentum inflammationis, exiguus aut nullus exitus humorum, ob id quòd impediti, ad ſemel infeſtari cœptam particulam, gregatim confluant.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SI verò æger detinet medicamentum ante meridiem, nihil purgatur: à meridie verò nimiũ purgatur & perit.

COMMENTARIVS.

DVORVM quoque alterum eueniat neceſſe eſt, in his qui febre laborantes pharmacũ exorbuerunt: nimirum aut vomento ſumptũ, ob id quòd faſtidioſi ſint admodum qui tanto æſtu vexantur, aut retinebũt præ robore viriũ ventriculi, quo natura ſunt donati. Si retinuerint, illa patientur in primis, de quibus ſermo præmiſſus egit, contingetq; corpus minimè expurgari, ob rationem recenter dictam. Si verò purgari ipſum euenerit, illud quidẽ robuſta facultate fiet, ſtimulata nimis, idq; ſtatim, aut nõ niſi ſerius paulò, hoc eſt, poſt prandium ſeu meridiem: quando vſqueadeò inualuiſſe poteſt in mẽbra vis illa medicamenti, vt ſicut in ſuperexpurgationibus, exulceratæ particulæ, corroſæ & nimium patentes effectæ, aliàs acrimonia perculſæ, licenter abire humores vltroq; conſentiant. Exindeq; conſecuta immoderata fluxione, vitę periculũ ſubibit infirmus, aut certò peribit: tardatur autem nonnũquam purgatio, quando tardatur impreſſio.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

AT ſi hac die ſuperſtes maneat, & vnà cum purgatione remittatur febris, ſanus fit.

COMMENTARIVS.

VTI libello de humorib⁹ teſtatus eſt auctor, ſimillima ſunt inter

inter ſeſe, quæ iuuant morbos & iudicant, & quæ oblædunt pariter ac interimunt; quò hæc quidē auertas fugiens, illa verò aduoces, atq; excipias. Sic Græcè, ὅτι ὅμοια ἀλλήλοισι πάντα τὰ κρίνοντα καὶ τὰ ὠφελέοντα, καὶ τὰ βλάπτοντα καὶ τὰ ἀπολύοντα, ὡς τὰ μὲν περιφεύγων ἀποχέωσι, τὰ δὲ προσκαλέηται, καὶ δέχηται, καὶ ἄγῃ. Sine diſtinctionis additamēto, ſimilia ſunt penitus quæ in bonum finiunt morbos ſeu iuuant, & quæ in malum perduci portendunt, aut necem ipſam: quod liquidò patebit, ſi excrementa, actionum læſiones, & corporibus adhærentes qualitates attenderimus. Excretiones, inquit Hipp. cruentæ, liuidæ, virides ſi benè fiant, bonæ; ſi malè, malæ: coctione ſiquidem præmiſſa diſtinguntur. Similiter, delirium, inquietudo, colores mutati in corpore, critica ſunt iudicia, ſi præiuit cauſarum facientium morbum maturatio: ſi verò abſque illa comparuerint, ſuſpitione mali non carent. hoc veriſſimū eſt, de his quæ natura ſponte concitata, in nobis ſingulis diebus conſpiciuntur: verùm in his quæ arte cōtingunt, haud diſſimile poſtulandum eſt diſtinctionis argumētum. Vt enim dudum aſſerebam, decipi poteſt medicus erga dignotionē humorum ideæ, quantitatis, & aliorum: eaq; de cauſa nō conſtabit prius an rectè fuerit in iudicatione progreſſus, quouſq; adſtipuletur εὐφωρία, ἢ δυσφωρία, factis. Quamobrem tametſi ſymptomata grauiſſima, & mórbi ſæuitiem repræſentantia viſantur, non debet medicus prudens animum deſpōdēre confeſtim: quin potius virium ægrotantis perpetuò ſuſpiciens robur, expectet oportet tolerantiā, & bonum finem. Hoc cōſilio, ventris turbationes ſiſtere cohibemur, interea dum vires perſiſtunt, & durantem vacuationem cōmodè ferunt: nec alio diſtinxit Galenus ſymptomata & morborum triſtes partus, ab operationibus, naturalium facultatum impulſu, confectis lib. De differentijs ſympt. 1. traq; quanquam huius auctoris decretis, in febribus vehementibus vetanda ſint cathartica medicamenta, efficaci poteſtate prædita, de quibus locutum eum antea indicauimus: haud protinus fit, vt ſemper noceant cōceſſa, ſed aliquando fœliciſſimum habebunt ſucceſſum, potenti

Et cap. de fluxu.

tenti robuſta facultate hęc omnia in ſuum vſum conuertere. Si ergo purgatio ſequatur, & febrem minuerit, argumẽto eſt profuiſſe vacuationem, ſanusq́, euadet à poſterioribus, & ab effectu, nobis arguentibus cauſam.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

QVapropter in validis febribus, medicamenta purgatoria exhibere non oportet: verùm ſi alicui opus fuerit, infuſum per cliſterem adhibere potes, quotieſcunque volueris, hoc enim minoris periculi eſt.

COMMENTARIVS.

CAVENDÆ ſunt, vt antea monuimus, purgantium medicamentorum potiones in febribus multi incendij, demendaq́; eſt periculorum colluuio, ſanguinis emiſſione, ſi nihil eã prohibeat, poſtulareq́; videatur id præſidium morbi natura: quòd ſi purgationem popoſcerit, illam facito leuioribus, & quæ non multos ſuccos eliciant, caſſia nigra, manna, rhabarbaro, electario roſaceo Meſſues, & ſimilibus; aut ſi clyſteri ſatisfeciſſe putaueris, eo vtere potius ex decocto maluarũ, mercurialium, violarum, cum olei pondo æquabili. Diſpenſatio namq; clyſteris ſummopere fuit barbarorum principi Auicẽnæ dilecta. Hipp. etiam 4. Acut. quando purgare pertimeſcit, clyſteri vtendum cenſet: non enim eget virium magno apparatu, & quocunque tempore poterit adhiberi, vitata morbi exacerbatione. De cuius debita diſpenſatione monuimus abundè, lib. De compoſitione vſitatorum medicamẽtorum.

CAPVT DECIMVMNONVM.

IVxta eandem rationẽ, tempore etiam æſtatis à canis ortu per dies quinquaginta vitare oportet, & non dare medicamentum: ſed infuſis per clyſterem vti. Idem enim periculum imminet.

COMMENTARIVS.

EX multis aucupanda eſt perfecta de morbis morborũve remedijs conſultatio: neq; ſatis eſt, ſi hæc aut illa perſpexeris, dum

dummodò omnia veluti choro quodam non conuenerint, aut ſaltem quæ ſunt digniſſima in ea contemplatione. Indicatio quidem, ἔνδειξις Græcis, faciendorum à rebus præter naturam capitur, quæ ſuapte natura, ſui ablationem expetunt: cui indicationi conſentiunt vires, dum præ debilitate fractæ, nequaquam refragantur his quæ affectio noxia poſtulat præſidijs. Cùm hæc duo conuenerunt, tempus eſt auxiliandi, & oportuna rei faciẽdæ commoditas, καιρὸν Græci dicunt: quæ ex re poſcente ſuppetias, & non prohibẽti aliquo, virtute ſcilicet, conſtituitur, li. De optima ſecta ad Thraſybulum. Inſuper hæc poſtulatio, ſi magnum efficaxq́; præſidium poſcere iudicetur, ob id quòd reipſa præter naturam magna ſit, neq; valeat momentaneis remedijs expugnari, magna profectõ ſunt adhibenda: vacuatoria quidem ſeu reuulſoria, cuiuſmodi ſunt ſectio venæ, & expurgatio, in morbis ab humoribus pendentibus: in his verò qui à nudis qualitatibus originẽ ducunt, alteratio balneis, epithematis, aut lactis potatione procurata. Extremis (inquit) morbis, extrema conducunt ſubſidia: at ſi paſſiones exiguę fuerint, leuiſſimisq́; valeant propelli patrocinijs, debita ſcilicet victus inſtitutione ſola, moderatiſſimísve alijs, cuius claſſis, clyſter, potiones adaperiẽtes, & quæ vrinam, aut aluum, aut ſudores clementer eliciunt, recenſentur; illis eſt libenter oppugnandum, abſq; eo, quòd efficacius quidquam tentaueris. Quod equidem ſubaudias oportet, ſi morbus cauſam adhuc habeat facientem: hac etenim ſi careat, alterantibus modicè vtendum eſt, qualia in emendandis ventriculi diſtemperantijs in habitu conſtitutis, ſeptimo methodi apud Galenum vſurpãtur. Hæc dixi prudens, quòd malè audiuerim apud Valentinum quendam nouum q̃ ſcriptorem, virum ſanè perquàm doctũ, Collatum nomine, qui me, De ſanguinis mittendi methodo ſcribentem carpit, in ea diſceptatione, quæ indicationem faciendorum remediorum à cauſis fore aſſumendam, non à morbo defendere mordicus certabat: ille ſiquidem, in habitu conſtitutos morbos proſpiciens, quos ſola alteratione, citra vllius cauſæ depulſionem,

videbat rectè poſſe curari, anſam præripuit, qua me, vt dicebam, criminis falſi accuſaret. Quaſi verò quiſquam adeò fatuæ mentis eſſe poſſet, qui vbi cauſæ nõ adſunt quæ foueant productos effectus, cauſas diceret eſſe amouendas prius: aut non potius intelligeret ſine pædagogo, plures effectus ſine cauſarum fomite ſeruatos, tollendos eſſe his quæ per ſe illis contradicunt, contrarijs. Dum ergo, à cauſis facientibus admouendorum præſidiorum indicationem eſſe capiendam iudicauimus, cum Gal. dicente, ἔνδειξις τῶν ποιουμένων, οὐκ ἀπὸ τῶν ἀποτελεσμάτων, ἀλλὰ ἀπὸ τῶν ἀποτελούντων λαμβάνεται. id eſt, faciendorum indicatio, non ab effectis, ſed à faciẽtibus cauſis accipitur. De vacuatorijs remedijs ſumus palàm locuti, quibus in extirpatione cauſarum morbificarum artifices vti coguntur. de quorum numero, ſectio venæ, de qua eo loco agebamus ex profeſſo, cùm in medium eſſet propoſita, fieretq; vtiliſſima contemplatio de ſcopis ad eam inducentibus, & an magnitudo morbi, & virium robur eius vſum indicarent neceſſariò: reſpondimus, magnitudinem morbi nõ indicare ſanguinis miſſionem, ſicut neq; morbum ipſum, ſed cauſam ipſam, vt modò de Galeni mente probabamus. Sed redeamus vnde ſumus digreſſi. Quanquam ſic ſe habeant affectio præter naturam, & vires, vt ſolæ ſufficiant ad remedij poſtulationem; veruntamen temperatur præſidij ipſius quantitas, & quodam modo ad menſuram redigitur variam, pro varijs quæ occurſant ad duo prædicta concauſis, quæ, aut ſunt ſecundum naturam, vt temperamentum eſt corporis, ſitus partis, ſocietas, formatio, & virium aut acutus aut hebes ſenſus, aut nõ ſecundum naturam, cuiuſmodi tempus exiſtit, regio, vitæ ſtudium, & animi pathemata prægreſſa, vnà cum eſculentorum potuúmve contemplatione, aut præter naturam omnino; quarum de cauſa, auxiliorum quantitatem metimur, ſuſpicientes cuius conditionis ſit morbus, & an de genere humidorum ſit, hoc eſt, ſpontaneas ſecum ferentium fluxiones, aut per ſudorem, aut aluum, aut quacunque alia regione, an de claſſe præaridorum. Iterum an vigilet ægrotus, &

tus, & dolore angatur maximo, ſyncopas crebrò ſuſtineat,& alia quæ vires refringant, pariter ac deterant;an potius è conuerſo, morbus ſit benignus admodum, nihil aut perparum debilitans ægrotantem. Hæc omnia vocantur Græcis, quatenus cum morbo in poſtulatione conſentiunt, coindicantia, συνεγδεικνύμενα: quatenus verò illi repugnant,& de virtutis ipſius ſunt factione, ἀνδεγδεικνύμενα, ſeu correpugnantia. Ergo ſi regio ſit præcalida, caniculæ tempus, vitæ ſtudium ſit plus æquo ſolicitum,non dubium quin minus ſit vacuandum & debiliori remedio:quoniam par eſt ſuſpicari, calidas haſce cauſas, quadantenus corpus exinanijſſe, ob idq; non admodum multis humoribus ſcatêre. Temperamentum natiuum corporis ægrotantis, receſſum morbi quantus ſit,oſtêdet, exindeq; æqualibus contrarijs expugnabitur. Situs auctiorem petit quantitatem, ſi ſit longiſſimè ab ore poſitum membrum : ideoque vltra præſidiorum gradus, quos per ſe poſcit morbus, addendus eſt vlterior, vt ſi quid in itinere repaſſa fuerint,æquabiliter contraria ad morboſam particulam perueniant. Acumen ſenſus, debiliora vult eſſe patrocinia, quæq; minus feriant : alioqui vis percuſſa vehementius concidet, & dolorificis remedijs attacta exoluetur. Iam verò ſi morbus cum fluxione incœperit, aut cum ſymptomatis vires ſuopte impetu proſternentibus, illis cõdonantes aliquid, pro reſiduarum virium menſura, metiemur & remedium. Quãobrem,nõ omnino canis feruor vetat purgationem, ſed temperat moderaturq; pondo : ac proinde, qui ſine hac meditatione calculationeque diminuentium vires, expurgauerunt, aut per ſanguinis emiſſionem vacuauerunt, plurimos in necem ipſam deduxerũt,primo ad Glauco.Et quod hæc ſit ſententia Galeni, patebit ſcrutanti rationem inſcribendi caput illud de febribus cum ſymptomatis : quæ profectò non eſt alia,quàm quòd ibi agatur, de ſymptomatis perturbantibus rectam curandi methodum, aut quia vires affatim debilitãt, aut magnitudinem morbi adaugent. Aliàs ſymptomata per ſeipſa,non poſtulant curationem.Ergo primo ad Glauconem

decimo

decimotertio cap. narrantur ſymptomata febrium, non quidem pathognomica, aut aſſidentia dici conſueta, ſine illis etenim nequit vllo pacto conſiſtere morbus; ſed de illis quæ ob prædictas cauſas, debitam curationis methodum præuertere compellunt. Fluxus itaque ventris, de quo ibidem meminit, ſi non eſt pro multitudinis ratione, nõ vetat ſanguinis miſſionem, ſed duntaxat pondo menſurat: conſimiliter dolor, & vigilia, caniculæ tempus, & reliqua eo loco memorata, interea dum vires ampliorem vacuationem ferre valent. Qui enim ad penſum minimè adducit detrimenta, quæ vigilia immodica, dolor intenſus, alui fluxus, æſtatis feruor corporibus adferunt, verùm præceps valdè, integras vacuationes molitur, plurimos necabit proculdubiò. Ita ſanè interpretari ſolet Gal. conſimiles orationes, 4. acut. comm. 412. genus inquiens, auxilij ab affectione præter naturam capiendum eſſe, cætera vt id plus minúsve facias, edocere. Conſequenterq; affectio præter naturam petit ſubſidium, vires annuunt, magnus morbus, magnum remedium, vires validæ conſentiunt: reliqua omnia ab his, aut augent indicationem vacuandæ quantitatis, aut minuunt plus minúsve, ſecundum impreſſam corpori affectionem ſubſtantiæ corporis vaſtatricem, aut ſeruatricem.

FINIS.

BIBLIOTECA

SVMMA PRIVILEGIORVM.

CAVTVM est Regio priuilegio, ne quis alius præter Christophorum Plantinum, librum, cui titulus est, *Methodus febrium omnium &c. auctore Ferdinando Mena medico*, imprimat, vel alibi impressum vendat hinc ad sexennium, sub pœna confiscationis librorum impressorum, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 2. Decembris. M. D. LXVII.

Subsignat.
De Langhe.

Idem cautum est in Consilio Brabantiæ ad totidem annos, & sub pœnis ijsdem, vt in superiori Priuilegio: quemadmodum latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 3. Decembris eiusdem anni.

Subsignat. ab eodem
De Langhe.